CLERICVM OB PACTIONEM CVM PATRONO FACTAM SACERDOTIO SE ABDICANTEM

PRAESIDE

CHRISTOPH· LVDOV· CRELLIO D
INSTITVT· IVSTINIANEARVM P· P· ORDINAR
CVRIAE PROVINC· ET SCABINATVS ASSESSORE
ORDINIS IVRIDICI VITEMBERGENSIS
H· T· DECANO

AD DIEM AVG. ANNO QVAM SALVS PARTA EST cIↃ IↃ cc XXXVIII


IN AVDITORIO ICTORVM

DEFENDET

A V C T O R

VVOLDEMAR AVGVSTVS FISCHER
DRESENA MISN
I· V· ST

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA



PERILLVSTRI
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO
CHRISTIANO
GOTTLIEB
AB HOLTZENDORFF

DYNASTAE PAIRENSTEINII, LICHTENAVII
SVPERIORIS ETC' ETC

SERENISSIMI
AC POTENTISSIMI
REGIS POLONIARVM
PRINCIPIS ELECTORIS
SAXONIAE
SVMMI SENATVS ECCLESIASTICI
PRAESIDI EMINENTISSIMO
REGII CVBICVLI COMITI
SPLENDIDISSIMO
ET
AERARII PROVINCIALIS QVAESTORI GRAVISSIMO

HEROI TOGATO INCOMPARABILI

MAECENATI INDVLGENTISSIMO

HAS PRIMITIAS ACADEMICAS

CONSECRAT


SEQVE ET MVSAS SVAS DEMISSISSIME COMMENDAT

SVMMO EIVS NOMINI

DEVOTISSIMVS CLIENS

VVOLDEMAR AVGVSTVS FISCHER

AVCTOR.



I

FVGA MVNERVM PVBLICORVM ODIVM ABDICATIONIS



ONGIVS opinione ſua a uero abſunt, qui non ſolum non reprehendendos, ſed plane officio bonorum uirorum egregie perfunctos, ideoque laude digniſſimos, eſſe arbitrantur illos, qui, ab omni hominum conſortio remoti, in obſcuro latere, quam quicquam cum aliis negotii habere, malunt. Enimuero, cum ſocietati humanae eam contigiſſe ſortem uideamus, ut alter alterius ope indigeat, ac, niſi in praeſtandis accipiendisque officiis, quod quisque minus per ſe ipſum poteſt, id ipſi ſuppeditetur, uiciſſimque ipſe reddat, VNIVERSORVM SALVS omnino non ſubſiſtere, aut certe minus commode durare, poſſit; Manifeſtum eſt, communem utilitatem non deſeri duntaxat, ſed etiam prodi ab iis, qui uitam ita trahunt, ut ſibi ſolis nati fuiſſe uideantur. At uero, ut quisque eſt recti amantiſſimus, ita maxime perſpicit, quod

PLINIVS a) ait, *esse hanc philosophiae et quidem pulcherrimam partem*, AGERE NEGOTIVM PVBLICVM, *cognoscere, iudicare, promere et exercere iustitiam, quaeque philosophi doceant, in usu habere:* ideoque a perniciosa ista hominum ignauorum desidia abhorret. Illi certe, qui IVRIS SCIENTIAM apud ROMANOS professi sunt, pessime de iis iudicarunt, qui sibi solis indulgerent, corpori tantum deseruirent, atque omnia, quae sequerentur in uita, quaeque fugerent, uoluptatibus atque doloribus aestimarent, ac uel minimum molestiae et laboris, republicae caussa, subire detrectarent; tantumque abest, ut illorum inertiae concedendum esse putauerint, ut etiam propositis POENIS illos in partem publicorum munerum uocarent. Equidem, cum non pauca ex iis, quae publico nomine suscipienda erant, munera cum emolumento tum honoris tum rei familiaris coniunctae essent, qui sese ingererent ac plane obtruderent, non facile omnino defuerunt. At, qui ea capesserent, quae dignitatis et utilitatis nihil, uel parum, laboris uero plurimum, haberent, uix reperti sunt; ut etiam non raro potestate magistratum opus esset, qua ad subeunda eiusmodi munera ciues desidiosi compellerentur. In MVNICIPIIS certe tam odiosa uisa sunt tamque onerosa esse munera, ut quod ex PLINIO b) apparet, iam, Traiano imperante, inuiti adeo traherentur municipales, ad munus publicum suscipiendum; quorum plerosque, CONSTANTINI aetate, solum uertere, quam muneribus publicis onerari, maluisse, ZOSIMVS c) obseruat. VLPIANVS igitur in l. 9. D. *de muner. et honorib.* obtinuisse ait, ut iisdem remediis, quibus tutores et curatores, ad suscipiendum officium adigerentur. *Si quis*, inquit, *magistratus in municipio creatus, munere iniuncto fungi detrectet, per* PRAESIDEM, *munus agnoscere cogendus est, remediis, quibus tutores quoque solent cogi ad munus, quod iniunctum est agnoscendum.* Coge-

a) Plin. Lib. I. Ep. 10. b) Plin. Lib. X. Epist. 114.
c) Zosimus L. II, p. 115.

Cogebantur igitur aliquando ciues, ut munera publica fubirent. At enim uero, utut eorum tanta penuria non fuerit, qui munera honorifica, forte etiam profutura, appeterent; id tamen utrique generi commune fuit, ut, qui femel ad quodcunque acceffiffet, interdum, ductus poenitentia, confilium mutaret, et ad otium reuerti uellet. Sed placuit, ut ab eo, quod fufceptum effet, pro lubitu abire quisquam fine dedecore non poffet. CAMILLVM certe, quem inter belli Gallici calamitates Ardea reuocatum, ciues dictatorem fecerant, ABDICARE fe dictatura fenatus populusque paffus non eft, nifi anno circumacto, ut LIVIVS a) enarrat. Neque aliud, introducto in locum reipublicae principatu, placuiffe, PRAESIDESque prouinciarum, ABDICANDO fefe, NIHIL EGISSE, fiquidem fine nutu principis, a quo prouincia decreta fuerat, id feciffent, in *l. 20. D. de offic. praefid.* affirmatur. Etenim PAPINIANVS, ex cuius LIB. I. *refponf.* ifta lex defumta eft, *legatus*, inquit, *Caefaris, id eft, praefes uel corrector prouinciae*, ABDICANDO *fe*, *non amittit imperium.* Nec errabit qui de Proconfulibus et quibuscunque prouinciarum rectoribus magiftratibusque urbanis et municipalibus idem affirmandum effe putet. De defenforibus quidem ciuitatum omnino certum eft, THEODOSIVM et VALENTINIANVM Imperatores in *l. 10. C. de defenforibus ciuit.* interdixiffe, ne quisquam a munere fibi demandato MISSIONEM haberet, nifi, facris codicillis, VENIAE a principe IMPETRATAE fidem praefecto praetorio faceret, adiecta etiam triginta librarum auri mulcta, a praefide prouinciae et quocunque magiftratu exigenda, qui forte, non expectata principis auctoritate, quemquam dimififfet. De tutelae denique ac curae muneribus fancitum fuiffe nouimus, ut ne quis, quod femel fubiiffet, infcio magiftratu deponeret: ac DIOCLETIANVM una cum MAXIMIANO *in l. 2. C. quando Tutor.*

a) Liu. L. VI. c. 1.

Tutor. uel Curat. esse desin. praecepisse, ne tutoris uel curatoris officium ex sola pupilli uel minoris uoluntate finiatur. Enimuero, quam ob caussam *in l. 10. D. de offic. procons.* licitum esse negat VLPIANVS, ante aduentum successoris ex prouincia abire, cum prouinciae utilitas exigat, esse aliquem per quem negotia sua explicent prouinciales ; Eadem certe obtinet in reliquis, quocunque tandem nomine ueniant, MVNERIBVS, communis utilitatis caussa introductis. Quae ne uel per minimum temporis spatium cessent, quam maxime interest ciuitatis, ad cuius salutem et tranquillitatem inprimis pertinet, ut semper adsint, qui omnia praeuideant, ad omnes casus uigilent, ea denique, quae peragenda sunt, mature expediant, et sine mora atque cum cura, administrent. Vt taceam, permagni referre, illos, qui rerum in ciuitate potiuntur, securos esse posse, quod maneant in officio, quibus reipublicae administrandae partem commiserunt, quorum industriam delegerunt ad ea, quae repente incidunt, diligenter procuranda, a quibus denique] rerum gestarum exigere rationem possint

II

ODIOSA INPRIMIS A MVNERE SACRO ABDICATIO

QVAE omnia cum inprimis conueniunt in SACRA MVNERA, ob curam animarum inter Christianos introducta, certisque personis, quae illa defungantur, demandata, tum etiam rationes peculiares inciderunt, quibus legum ecclesiasticarum conditores adducti sunt, ut SACRI ORDINIS hominibus interdicerent omnino , ne locum in quo collocati sunt, sine CAVSSA GRAVISSIMA, nec inscio SVPERIORE deserant, aut temere uacuum relinquant. Enim uero, ipsa sacri illius negotii grauitas optimo cuiuis ac religio-

giosissimo sacerdoti facile persuadet, ne quid committat, ex quo uel minimum detrimenti quisquam ex coetu sibi commisso patiatur. Manifestum enim est, accidere posse quotidie, quae operam ministri ecclesiae requirunt. Sane cum diuino nutu ac consilio fieri credamus, ut docendi uerbi diuini atque ministrandorum Sacramentorum munus cuiquam committatur, et quilibet illorum, se rite et ex summi Numinis uoluntate uocatum esse, arbitretur ; ferendum uix esse uisum est, ut quis pro lubitu spartam sibi demandatam deponat, molestiaeque uitandae caussa, aut impedimenti, nescio cuius, imaginario obtentu, ad otium uitamque remissiorem reuertatur. Leue certe atque indignum probo uiro in omni uitae genere uidetur, officiorum praestandorum necessitatem, priuata commoditate aestimare, et suo uel studio, uel ignauia, metiri. In SACRIS autem MVNERIBVS nimia RECEDENDI facilitas eo magis est reprehendenda, quo plus inde incommodi et damni ipsa ecclesia capere uidetur. Enim uero, cui potest esse obscurum, quantum in eo momenti positum sit, ne alii subinde et alii constituantur sacerdotes aliis plerumque, in tanta capitum sensuumque uarietate, moribus instructi, nouam semper in docendo custodiendoque coetu rationem ineuntes. Illud uero exploratum est, eo facilius proficere doctorem, eoque certius auditores etiam dictis monitisue obsequentiores reddi, quo arctior inter utrosque coniunctio animorum intercedit, quoue certius de pastoris in se uoluntate ac salutis aeternae promouendae studio persuasi sunt parochiani. At non uno alteroue die FIDVCIA ista comparari potest: tempore opus est et occasione ad probandam fidem ac beneuolentiam conciliandam, amoremque mutuum, quo nihil ad continendos in obsequio homines accommodatius remedium excogitari potest confirmandum. Sua sunt praeterea cuique coetui studia, sui mores, suae propriae cupiditates, quibus uel maxime ducuntur, et uel

uel in rectam uiam, uel errorem, facile trahuntur. Quos quidem recessus nisi quis inuestigauerit penitusque perspexerit, atque consilia sua ad omnes opportunitates accommodauerit, vel paruum laboris sui fructum sentiet, uel frustra omnino in illo campo desudabit. Aut omnia me fallunt, aut ex his ipsis caussis, inde ab antiquissimis temporibus, leuitas illorum improbata fuit, qui nullis vel exiguis difficultatibus permoti, STATIONEM sibi tributam RELIQVERVNT. Illi profecto, qui cum cura in officio uersati sunt, RESIGNATIONVM et RENVNCIATIONIS, quam dicunt, iustitiam, neque ignauia, neque inerti otio, neque priuato arbitrio, metiendam esse existimarunt, ideoque omni modo in officio retineri ministros ecclesiae, semel huic rei adhibitos et inauguratos, uoluerunt. Inter cetera, quae in CANONIBVS APOSTOLICIS de disciplina ecclesiastica sparsim decreta continentur, *can. 35.* sancitum est, „*episcopos ordinatos, qui „ministerium uel curam populi sibi commissam non suscе„perint, a communione tamdiu seiungendos esse, donec susci„piant, obedientiam accommodantes.*„ Neque Presbyteris et Diaconis semel ordinatis integrum esse uoluerunt eiusdem canonis auctores, ut, quod impositum esset oneris, uel subirent, uel etiam pro arbitrio excuterent, et operam promissam ecclesiae praestare detrectarent. Colligi exinde potest, quod THOMASSINVS *de disciplina ecclesiastica* a) obseruauit, tanto minus de loco semel occupato decedere potuisse sacerdotes et episcopos, quanto grauius in eos animaduertendum esse, patres ecclesiae putarunt, qui nuper oblatum munus temere repudiarent. Eandem sententiam fuisse CONCILII NICAENI patribus, ex CANONE XVI. huius concilii manifestum est, in quo a communione ecclesiae excludendos esse decreuerunt clericos, ecclesiarum suarum desertores. Etenim *omnem*, inquiunt, *necessitatem conuenit iis imponi,*

a) Thomass. de discipl. ecclesiast. L. II. c. 50. §. 3. p. 168.

imponi, ut ad suas paroecias reuertantur: quod si non fecerint, oportet eos communione priuari. Sane, ut non temere subterfugienda est occasio, publicae caussae consulendi, ita in sacris praecipue ministeriis strenue perseuerandum esse uoluerunt uiri pietate insignes; ideoque CYRILLVS ALEXANDRINVS in Epistola quadam, apud Balsamonem, grauiter pronunciauit: Si sunt digni, qui sacra mysteria obeant, in iis maneant; si autem indigni, ne per RENVNCIATIONEM exeant, sed potius CONDEMNATI. Hoc enim, et THOMASSINVS *loco citato* et PETRVS DE MARCA (a) obseruarunt

III

EX IVSTA CAVSSA RENVNCIATIO ADMISSA IN VETERI ECCLESIA INPRIMIS OB SCANDALVM ET SPEM FRVCTVS INTERCEPTAM

NEQVE tamen tam duri ueteres fuerunt, ut ne interueniente quidem IVSTA CAVSSA aliquando uoluntati illorum, qui permanere in statione recusabant, cum res illud postulare uisa est, obtemperauerint, illosque liberauerint illo uinculo, quo obstricti tenebantur. Vt enim SALVS ECCLESIAE suprema lex esse debet apud optimum quemcunque; ita, promouendae eius caussa, RENVNCIATIONES etiam, quas tamen alias satis difficulter admittebant, non omnino improbandas esse, censuerunt. Apud GREGORIVM certe NAZIANZENVM PACIS SERVANDAE studium plurimum ualuisse ad locum derelinquendum, cui quis sine detrimento ecclesiae suae praeesse non posset, suo ipsius exemplo declarauit. Etenim SOZOMENVS b) auctor est, illum ab

 Impe-

a) Petrus de Marca de Concord. sacerdot. et imper. L. VII. c. 8. §. 6. p. 820.
b) Sozomenus L. VII. histor. eccles.

Imp eratore, et Clero Conſtantinopolitano, epiſcopisque quam pluri mis, ad epiſcopatum imperialis ſedis delectum, poſtulantibus primo aſſenſum ſuum accommodaſſe, mox tamen, quod alios ſibi infeſtos et aduerſarios eſſe cognouiſſet, abire, quam DISSENSVM et turbas in eccleſia facere, omnino maluiſſe; cum religioni ſibi duceret, eccleſiam tempeſtati obiicere, ab iis excitatam, qui ſedare potius, forte fortuna ortam, debuiſſent. Nec alia de cauſſa GREGORIVM iſtum a SASIMORVM epiſcopatu diſceſſiſſe, compertum eſt, quam, cum per loci iniuriam, et INCOLARVM MALITIAM, duorum denique metropolitanorum de finibus prouinciae contentionem, non uideret, quid prodeſſe poſſet. Praedicat AVGVSTINVS a) et maximopere collaudat eorum conſilium, qui propter publicum eccleſiae bonum epiſcopatibus cedere, quam contentionibus et litibus uiam facere atque locum dare mallent. Longe glorioſius, inquiens, eſſe, epiſcopatus ſarcinas, etiam propter eccleſiae uitanda pericula, depoſuiſſe, quam, propter regenda gubernacula, ſuſcepiſſe. Ideoque et MAXIMIANVM Africae epiſcopum, hac ipſa de cauſſa RENVNCIANTEM, non per ignominiam cecidiſſe, ſed glorioſe ceſſiſſe, affirmauit b). Sane, cum expeditum ſit, quod idem AVGVSTINVS alibi ſcribit, epiſcopos et ſacerdotes, non priuati commodi, aut ſplendoris, uel dignitatis, gratia conſtitutos, ſed propter eos, quibus praeceptis ac precibus praeire ac ſacramentorum adminiſtratione adeſſe debent; non locus eſt dubitationi, melius agere, qui, cum finem propoſitum nulla ratione ſe conſequi poſſe uideant, cedere potius, quam perſeuerare cum eccleſiae damno, uoluerunt. Ita PER OBSTINATOS ANTIOCHENORVM male in ſe animatorum MORES in epiſcopatu permanere noluit MARTYRIVS, eorum epiſcopus, ſed teſte THEODORO LECTORE c) officio ſeſe ABDICAVIT, coetui autem publice de-

a) Auguſtin. Epiſt. 238. b) Auguſt. Epiſt. 238.
c) Theodor. Lector L. I. p. 718.

declarauit, *clero immorigero et populo rebelli et ecclesiae contaminatae sese renunciare, seruata tamen sibi sacerdotii dignitate.* Certe etiam MELETIUM, episcopum cuiusdam in Armenia urbis, propter INOBEDIENTIAM subditorum, alio se contulisse et priuatam uitam in otio degisse, enarrat THEODORETUS (a). Illud uero prae ceteris placuisse priscis ecclesiae patribus intelligimus, ut, quotiescunque per imbecillitatem humanam LAPSUS forte esset episcopus, ac propter PECCATUM, quo ecclesiam offendisset, sese ex uoto consulere posse commodis suorum desperaret, licite ABIRET. Ipse, quem antea, laudaui, AUGUSTINUS (b) quod obseruauit THOMASSINUS c) grauiter sacerdotes admonuit, qui ecclesiae suae SINE SCANDALO praeesse nequeunt, atque ad DEPONENDUM officium ipsos inuitauit. „*Neque enim*, scribit Hipponensis" episcopus, *episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus" uerbum et sacramentum dominicum ministramus, ac per hoc," ut eorum sine scandalo gubernandorum sese necessitas tulerit," ita uel esse, uel non esse, debemus, quod non propter nos, sed" propter alios, sumus. Denique non nulli sancta humilitate" praediti uiri, propter quaedam offendicula, quibus pie reli-" giosequе mouebantur, episcopatus officium non modo sine cul-" pa, uerum etiam cum laude, posuerunt*!" Ipse certe, cum Antonium quendam, alumnum suum, meliore consilio quam euentu, Fussalensi ecclesiae episcopum commendasset, tam aegre tulit hoc suum factum, ut oscitantiae, cuius ipse se reum faciebat, coërcendae caussa, episcopatum ABDICARE uoluerit d) Idque Coelestino Pontifici Romano explicauit hoc in primis argumento : *Cogitamus, quod ait apostolus, si nosmetipsos iudicaremus, a Domino non iudicaremur : iudicabo me ipsum, ut parcat mihi, qui iudicaturus est uiuos et mortuos.* Eadem SCANDALI

a) Theodoret. L. II. c. 3. histor. eccles.
b) Augustin. L. II. c. 11 contra Crescon.
c) Thomass. de disciplin. eccles. P. II, L. 2. c. 51. § 2.
d) Augustin. Epist. 261.

DALI uitandi cauſſa fuit MAXIMIANO, BAGAIENSI epiſcopo, ut ſuo ſe munere ABDICARET. Iſte enim, quod cum Donatiſtis aliquando fecerat,' POPVLO MINVS PLACEBAT, licet a peruerſa iſtorum hereticorum ſententia iamdudum receſſiſſet. Maximianus igitur, cum errorem, quem olim errauerat, eccleſiam adeo offendiſſe cerneret, ut etiam nunc peſſime de ſe plerique ſentirent, SPONTE ABIIT a munere, rationibusque conſilii expoſitis, patribus Milcuitanis factum probauit. Atque hanc ipſam ABDICANDI epiſcopatus cauſſam etiam ſubſecutis ſeculis plurimum ualuiſſe, exemplis POTAMII Bracarenſis epiſcopi et EBBONIS RHEMENSIS comprobatur. Ille enim cum libidini intemperantius indulſiſſet, eoque nomine grauioris animaduerſionis ſe reum feciſſet, SPONTE ABIIT, et ſententiam Concilii Toletani X. paullo poſt in ſe latam, praeuertit. Hic autem a Ludouico Pio imperatore accuſatus, crimenque confeſſus, a Synodo remedium poenitentiae petiit, ut a functione epiſcopali, qua ſe indignum agnouit, recedere liceret, quod PETRVS DE MARCA a) annotauit. Atque, ſi recte iudico, inualuit omnino et obtinuit, ut quotiescunque clericus deponendus eſſe uideretur ab officio, SE IPSVM potius ABDICARET reus, grauitate criminis commotus, Synodus uero ſententiam damnationis ab ipſo pronunciatam, cui reus iam obtemperauerat, confirmaret. Ita ut ſentiam, facit formula iſta, qua Arnulphus Rhemenſis Archiepiſcopus perduellionis reus, in cedendo archiepiſcopatu uſus, et quae a PETRO DE MARCA b) ex ueteris aeui monumentis deſcripta eſt. Quam quia ad inſtitutum cumprimis pertinet, adiiciendam eſſe puto. His enim uerbis concepta eſt : „Ego Arnulphus quondam „Rhemorum archiepiſcopus, recognoſcens fragilitatem „meam et pondera peccatorum meorum, teſtes confeſſores meos

a) Petr. de Marca L. VII. c. 25.
b) Petr. de Marca loc. cit. §. 9. p. 1096.

meos - - - constitui mihi iudices delictorum meo-" rum, et puram ipsis confessionem dedi, quaerens remedium" poenitendi, et salutem animae meae, ut RECEDEREM AB" OFFICIO et ministerio pontificali, quo me recognosco esse" indignum, et alienum me reddens, pro reatibus meis, in" quibus peccasse me ipsis secreto confessus sum, et de qui-" bus publice arguebar, eo scilicet modo, ut sint illi testes" alii succedendi et consecrandi in loco meo, qui digne prae-" esse et prodesse possit ecclesiae, cui hactenus indignus prae-" fui. Et ut inde ultra nullam repetitionem, aut interpella-" tionem, auctoritate canonica facere ualeam, manu propria" me subscribens firmaui."

IIII

ALIAE RENVNCIATIONVM CAVSSAE. PACTVM NON ERAT CAVSSA IDONEA RENVNCIATIONIS

Hae quidem renunciationum caussae usu ueteris ecclesiae inprimis comprobatae sunt, quae a nobis primo loco commemorandae uidebantur, quia prae ceteris pertinent ad institutum. Sed inueniuntur plures patrum auctoritate exemplisque confirmatae. Inprimis SENECTVTI tanto iustiorem VACATIONEM tribuendam esse existimarunt, quanto magis imbecillitas senum NATVRAE potius, quam CVLPAE hominum, debetur. Haud igitur difficulter VENIAM ABEVNDI impetrauit BVRCCARDVS, episcopus Wurtzburgensis, cum ingrauescentis aetatis obtentu successorem postularet, quod ex SVRIO supra commemorauimus. Neque GAVFREDO Syluanectensi episcopo, per aetatem et morbum corporis, laboribus impari, ac minus idoneo ad munus pro dignitate administrandum, MISSIONEM denegan-

dam esse, arbitratus est pontifex: cuius rei RIGORDVS de gestis Philippi Augusti ad annum 1215 a) testis est. Nimirum et GRAVITATI MORBI id concedendum esse duxerunt, ut renunciatio, isto titulo munita, admitteretur. Inter caussas itaque, ob quas a Sasimorum episcopatu abiisse GREGORIVM NAZIANZENVM supra memorauimus, non minima fuit, PERICVLVM, quod VALETVDINI eius ob inclementiam coeli et omnium rerum inopiam, impendere uidebatur. Sic et SYLVANVM, Philippolitanum in Thracia episcopum, ab Attico, Constantinopolitano Patriarcha, constitutum, SOCRATES b) refert, successore postulato, et impetrato, episcopatum reliquisse, quod per CORPORIS IMBECILLITATEM frigus ferre non posset. Ex eadem denique caussa ARIMINENSI episcopo assensus est GREGORIVS pontifex c) ut alius in illius locum deligeretur, cum per CAPITIS DOLORES impediri uisus esset, quo minus sacerdotio praeesse posset. Sed non aeque probatum fuit illorum consilium, qui se, MAIORIS PERFECTIONIS et singularis PIETATIS caussa, abire sacerdotio dixerunt. Neque enim exemplum IOANNIS SILENTIARII, ab episcopatu AD VITAM MONASTICAM fugientis, tanti uisum est, quod tuto sequerentur alii, utut diuinitus ad illud consilium capiendum excitatus esse crederetur, si uerum est, quod in uita eius apud SVRIVM narratur. Quin potius illos, qui solitudinem et otium muneri demandato praeferrent, et INCONSVLTO SVPERIORE in monasterium abirent, sanctitatis simulatione, grauiter coërcendos esse statuerunt patres SYNODI CAESAREO AVGVSTANAE can. 6. *Si quis de clericis propter luxum uanitatemque praesumtam de officto sponte discesserit, ac, uelut obseruatorem legis, monachum se uideri maluerit, quam*

a) apud Pithoeum p. 213.
b) Socrat. Histor. eccles. L. VII. c. 37.
c) Gregor. L. IX. ep. 141.

quam clericum, ita de ecclesia repellendum, decreuerunt, *ut, nisi rogando atque obsecrando, pluribus temporibus satisfecerit, non recipiatur.* Certe remediis canonicis ad officium reductos huius generis transfugas uel FVLGENTII, Abbatis cuiusdam in Africa, exemplo constat, quem ad abbatiam reuocatum esse episcopali auctoritate, ex FERRANDO adducit THOMASSINVS a) Illud uero inusitatum, et decretis etiam conciliorum prohibitum fuit, ut quis IN FAVOREM alterius, nulla alia, eaque graui, caussa motus, a sacro munere abiret. Etsi enim in dubium uocari nequit, quod auctorum omni exceptione maiorum fide constat, uel religiosissimis praesulibus in more positum fuisse, ut MORIBVNDI, uel certe difficiliore morbo afflicti, SVCCESSORES NOMINARENT, quos maxime dignos et ecclesiae utiles futuros existimarent; non tamen, hac sola nominatione facta uel depositum fuit munus, uel in alium translatum, quin potius, ius succedendi ab electione cleri et assensu populi pependisse, b) per quinque priora secula et ultra, THOMASSINVS demonstrauit. Praeterea etiam illud certum est, in APPELLANDIS SVCCESSORIBVS id egisse optimos uiros, ut ne alius post mortem ! ipsorum eligeretur, nisi quem recte de doctrina sentire perspexissent. Ceterum, ne quid uel AMICITIAE, uel COGNATIONI, datum esse uideretur, tam prouide interdictum fuit, ut etiam, indulgentibus aliquando metropolitanis, uel episcopis prouincialibus, alii contradixerint, cauentes, NE EPISCOPALIS HONOR HEREDITARIVS VIDERETVR: Hoc enim ex HILARII episcopi Romani *epistola 2.* intelligitur. Quibus quidem ita comparatis, nemo facile erit, qui sibi persuadeat, uel PACTIS, uel plane PRETIO, locum fuisse, quo quis ad RENVNTIANDVM excitaretur. Sane, ut turpe uisum fuisset,

a) Thomass. loc. cit. p. 173.
b) Thomass. l. c. c. 55. §. 5. seq.

fuiſſet, ſi quis de ABDICANDO ſacro munere pactus eſſet, ita SIMONIAE crimen uix effugiſſet, qui uel DATA PECVNIA aliquem ad renuntiandum prouocaſſet, uel ACCEPTA, prouinciam ſibi demandatam deſeruiſſet. Namque et in eos conuenit, quod *canone apoſt. 28.* dicitur: *Si quis epiſcopus* AVT PRESBYTER *aut diaconus*, PECVNIAE INTERVENTV, *hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor tam ipſe, quam qui eum ordinauit, et omnino a communione abſcinditor, quemadmodum Simon magus a Petro.* Denique, ut PACTA a renunciatione abeſſe uoluerunt, ita VIM in illa minime tolerandam putauerunt. Ideoque PROIECTVM epiſcopum, cui propter diuturnum morbum inuito ſucceſſorem dederat HILARIVS ARELATENSIS archiepiſcopus, reſtituendum eſſe, *epiſtola 89.* pronuntiauit LEO Pontifex Romanus. Atque hac ipſa de cauſſa aliquando dubitatum fuit, cum quaeſtio incidiſſet, utrum NICOLAVS MVSALON, Amyclenus metropolitanus, a magiſtratu ad renuntiandum adactus, efficaciter renunciaſſet, an uero cognitio de criminibus ipſi objectis prius inſtituenda eſſet. Placuiſſe tamen, cognitionem fieri, *ne ſacris altaribus et coeleſti uictimae admoueretur miniſter, qui poſtea indignus et contaminatus comprobari poſſet*, ex BALSAMONE refert Thomaſſinus a)

V

LEGES SOLENNIS RENVNCIATIONIS IN PRIORI ECCLESIA AVCTORITAS SVPERIORIS DESIDERATA

Ex his igitur cauſſis aliquando admiſſum eſt, ut quis munere ſe ſuo abdicaret. Supereſt, ut de MODO, et legibus, quibus obſequi debuit, qui ſacro officio renunciaret, uideamus. Sed, in ueteri quidem eccleſia ex eorum, qui

a) Thomaſſ. loc. cit. c. 58. §. 12. p. 197.

qui ſacra munera abdicarunt, exemplis conſtat, operam dediſſe pleroſque, ne forte ex nulla, uel non ſatis idonea, uel ea cauſſa, quae probo uiro omnino indigna eſſet, ſacerdotii onera fugere et auerſari uiderentur; ideoque RATIONES CONSILII uel METROPOLITANIS, uel totis epiſcoporum CONCILIIS, expoſuerunt. SYNODVS certe PAMPHILIENSIS examinauit renunciationem EVSTATHII, metropolitani ſui, et tandem admiſit, ut ex epiſtola Synodi Epheſinae ad Pamphilienſem Petrus de Marca obſeruauit. a) Idem THOMASSINVS ſecundum ſeriem temporum oſtendit, et inualuiſſe, ait, progreſſu temporis, ut et REGVM IMPERATORVMque aſſenſus peteretur ab epiſcopis, qui ab illo munere abirent. Et recte quidem, meo iudicio, cum docente VLPIANO l. 1. §. 2. D. *de Iuſtit. et Iur.* ius PVBLICVM etiam in SACRIS et SACERDOTIBVS uerſetur, et non parum reipublicae interſit, ſacra cum dignitate, et a VIRIS IDONEIS, adminiſtrari. LICINIVM quidem, ANDEGAVENSEM epiſcopum, mirum in modum a REGE et EPISCOPIS efflagitaſſe, ut ſibi ſucceſſorem darent, in uita eius apud SVRIVM commemoratur. SVLPITIVM uero, BITVRICENSEM archiepiſcopum, REMACLVM, TRAIECTENSEM epiſcopum, BONITVM, Aruernum, BVRCHARDVM, VVurtzburgenſem, eandem in deponendo epiſcopatus munere rationem ſecutos eſſe, ex uitis eorum, apud SVRIVM et BOLLANDVM *in actis Sanctorum*, intelligitur. Illud certe apparet, nondum iis temporibus obtinuiſſe, ut auctoritas ROMANI EPISCOPI interueniret, quotieſcunque ab epiſcopatu recedere cuiquam uiſum eſſet. Imo nec exempla eorum deſunt, qui CONSCIENTIA cuiusdam CRIMINIS, et pudore male adminiſtrati muneris, ne requiſito quidem, uel CONCILIORVM, uel METROPOLITANORVM, uel REGVM conſenſu,

C ab-

a) Petr. de Marca de Concordia ſacerdotii et imperii p. 820.

abierunt. Etenim MAVRITIVS, ANDEGAVENSIS ciuitatis episcopus, seuerus in se ipsum ac rigidus iudex, suam solius sententiam secutus, episcopatum DEPOSVIT, quod sua negligentia puer, sacramento confirmationis nondum initiatus, obiisset, quod ex SVRIO indicauit THOMASSINVS a). Atque in eo quidem facto adiutus uidetur auctoritate CHRYSOSTOMI b) qui, *oportere puto*, inquit, *tanta cum religione et cautione ad episcopatum accedere, ut illius molem et magnitudinem detrectes, deinde adepto honore aliorum iudicia sententiasque non expectare, si quod forte commissum deprehendatur, propter quod oporteat te honorem illum deponere; quin potius anteuertens te ipsum munere abdices. Sic enim par est, ut diuinam concilies impetresque misericordiam, qui si honorem illum praeter decorum tanquam mordicus retinere studueris, indignus es, qui ueniam consequaris, tum uero diuinam iram magis ac magis incendes, altero peccato et eo grauiore a te addito.* Neque tamen haec ideo afferuntur, quod neminem omnino episcoporum adiisse ROMANVM PONTIFICEM asseueremus, cui episcopatu abire constitutum fuisset. Namque et ipsum AVGVSTINVM consilium ABDICATIONIS exposuisse Coelestino, pontifici Romano, supra commemorauimus. Et idem fecisse RVSTICVM Narbonensem, CORBINIANVM Frisingensem, aliosque quam plurimos, optimorum auctorum fide constat. Enim uero et illud certum est, et a THOMASSINO et PETRO DE MARCA demonstratum, nullam renunciantibus huius rei necessitatem impositam, sed nudum potius pontificis Romani consilium expetitum fuisse ab iis, qui cauendum esse sibi duxerunt, ne suo arbitrio et per inertiam a statione recessisse uiderentur : ceterum id impetrari ab iis potuisse aliorum etiam praesulum ac metropolitanorum, uel

a) Thomassin. Part. II. L. 2. c. 52. p. 173.
b) Chrysostomus de Sacerdotio L. 3. c. 10.

uel concilii cuiusdam interpoſita auctoritate. Et quid diſputatione opus eſt, cum uel ex PELAGII III. *pontificis* Romani, confeſſione ſatis intelligatur, nondum eius aetate inualuiſſe opinionem, quod ad SEDIS ROMANAE cognitionem et iudicium renunciationes epiſcoporum pertinerent. Is enim BENIGNO archiepiſcopo cuidam, quaerenti, num metropolitani auctoritate translatio epiſcopi fieri poſſet, ingenue reſpondit: *quia, ſicut poteſtatem habes epiſcopos et ſacerdotes regulariter titulare et ordinare, ita, ut praedictum eſt, cauſſa neceſſitatis et utilitatis habes et* MVTARE, *ac de titulo ad titulum* TRANSLATARE, *licet de minore ad majorem urbem mutandus ſit.* Sed recte a TRANSLATIONE, quae et ipſa RENVNCIATIONEM continet, ad SIMPLICEM RENVNCIATIONEM duci poſſe argumentum, arbitramur

VI

TANDEM AVCTORITAS SEDIS ROMANAE NECESSARIA FVIT RENVNCIANTIBVS

INTERIM, quae iam dudum animos hominum inceſſerat, religio et ueneratio SEDIS ROMANAE effecit, ut primum metropolitanorum plerorumque renunciationes ad PONTIFICEM ROMANVM deferrentur. Tum idem de EPISCOPATIBVS placuit, ut aegre ferrent pontifices, ſi forte, ſe inconſultis, quisquam ab eccleſia abiiſſet. Denique, quod SPONTE olim et libere factum fuerat, in NECESSITATEM abiit. Inde igitur certis legibus circumſcriptas eſſe uidemus RENVNCIATIONES, cauſſasque expreſſas, quae ſolae legitimae haberi poſſent, et ob quas admiſſurus eſſet ABDICATIONES pontifex, competens huius rei iudex, ſi de abdicatione ageretur. Atque ut eo aequius et ſcripturae ſacrae conuenientius eſſe uideretur auctoritatis pontificiae illud incrementum, exco-

gitatae ſunt rationes omnino ſpecioſae, ob quas ad SEDIS ROMANAE cognitionem pertractae eſſent iſtae de renunciationibus cognitiones. Enim uero commenti ſunt intercedere quoddam VINCVLVM inter EPISCOPVM presbyterumque et ECCLESIAM, CONIVGIO SIMILE, quod MATRIMONIVM SPIRITVALE appellatum fuit. Nimirum placuit, quod SPONSVS eccleſiae SERVATOR noſter nominetur. Quae igitur ſuperiorum temporum fuit audacia, ac in conditione laicorum infra ſacerdotum ſortem deprimenda temeritas, induxit clericos, ut totius eccleſiae contemplatione pontifici uindicarent locum CHRISTI, ceteri ſe MARITOS eccleſiarum particularium eſſe gloriarentur, idque ſine rubore, cum magna Seruatoris iniuria, ſubinde affirmarent. Quod poſteaquam ſemel probatum fuit, non abs re uiſum eſt, ea, quae de uero matrimonio tum in litteris ſacris dicta ſunt, tum legibus aeque ac iuribus eccleſiaſticis definita, ad SPIRITVALE illud MATRIMONIVM trahere, et, quantum fieri poſſet, ad rationes eius accommodare. Vt reliqua praetermittam, quae, ex ſententia iuris pontificii et interpretum, CARNALI et SPIRITVALI matrimonio ſunt communia, ſolum illud VINCVLVM arctiſſimum et paene INSOLVBILE ueri matrimonii occurrit, quod quidem, ut in uulgus notum eſt, non niſi ex pauciſſimis cauſſis, accedente etiam iudicis eccleſiaſtici auctoritate, diſſolui poteſt. Ad huius igitur arctiſſimi nexus exemplum INNOCENTIVS III. pontifex Romanus uoluit, ut, quod inter epiſcopum uel presbyterum et eccleſiam eſſet uinculi, non, niſi ROMANI PRAESVLIS auctoritate, CAVSSA COGNITA, diuelleretur. Certe de VERO MATRIMONIO Seruator noſter apud MATHAEVM cap. XIX, commate 6, pronuntiat, NON SEPARANDVM eſſe ab homine, quod ab ipſo DEO coniunctum fuit, ideoque adulterium committi ab iis, qui ſine grauiſſima cauſſa diuortium faciant ab uxore. Inde uero *in cap. 2. X. de translat. epiſcop.* INNOCENTIVS III. colligit, MATRIMONIVM

SPI-

SPIRITVALE episcopi et ecclesiae tanto difficilius dissolui, quanto maioris momenti spiritualia prae corporalibus esse intelligantur, tantoque certius esse, suo solius iudicio reseruasse DEVM illas episcoporum uoluntarias renunciationes; ut dubitari non possit, illas ad pontificis Romanii cognitionem, quem Vicarium Christi indubium esse perhibet, deferri. *Cum ergo fortius sit*, inquit, SPIRITVALE CONIVGIVM, *quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens DEVS* SPIRITVALE CONIVGIVM, *quod est inter episcopum et ecclesiam, suo tantum iudicio reseruauerit dissoluendum, qui dissolutionem etiam carnalis coniugii, quod est inter uirum et foeminam, suo tantum iudicio reseruauit, praecipiens, ut quod DEVS coniunxit, homo ne separet. Non enim humana, sed potius diuina, potestate coniugium spirituale dissoluitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem, auctoritate Romani pontificis, quem constat esse uicarium IEsu Christi, episcopus ab ecclesia remouetur, et ideo tria haec, quae praemisimus, non tam constitutione canonica, quam diuina, soli sunt Romano pontifici reseruata.* Enim uero quis non uidet, complura esse in hac pontificis constitutione, quae accuratius et seuerius pensitata locum suum tueri non possint? Vnde enim fidem faciet, uel mediocriter incredulo, MATRIMONII, quod sacerdotes inter et ecclesiam esse fingit. SPONSVM ecclesiae suae uocari SERVATOREM, ne nos quidem in dubium uocamus, et supra ingenue agnouimus, scripturae sacrae certissima auctoritate. At, unde probabitur, in societatem istius coniunctionis, inter Christum et ecclesiam contractae, receptos esse clericos, quos MINISTROS SPONSAE et CVSTODES esse uoluit Seruator? Viderint igitur illi, qui tam audacter sibi uindicant alienam SPONSAM, ne malam sibi notam inusserint, dum ipsam Christi sponsam non intactam reliquerunt. Sed fac, adesse etiam eiusmodi matrimonium, arctius quoque, quam ipsum carnale coniugium, contractum: cur uero in eo relaxando plus sibi sumit

pontifex, quam in uero matrimonio ausus est unquam? cur et RENVNCIATIONES SIMPLICES et translationes episcoporum tam facile admittit, cum diuortium uix ex una alteraue caussa probetur, mutatio uero uxoris aut optio nouae coniugis in locum prioris omnino temere non permittatur: quem denique, cui sanum sinciput contigit, permouerit, ut ipsi IVRI DIVINO credat reseruati illius, quod fingit, origines deberi. Hoc enim si uerum est, cur non idem obseruatum est in ecclesia, seculis a Christo nato proximis? Cur in iura uicarii istius DEI grassati sunt metropolitani et patres conciliorum, quos tamen de ecclesiastica disciplina rectissime iudicasse, uel pontificii negare non audent. Nemo certe est, qui non uideat, excogitata esse haec, quae in cap. 2. X. *de Translat. episcop.* afferuntur, argumenta: ut, quod, inuitis ecclesiae priscae moribus, ad pontificiam maiestatem augmentum accesserit, colorem haberet, quo oculi et mentes hominum a ueri cognitione in errorem ducerentur

VII

RENVNCIATIONES PRESBYTERORVM, ET CLERICORVM QVI SVNT IN ORDINIBVS MINORIBVS, ODIVM PACTORVM

SATIS, credo, dictum est de renuntiatione clericorum, qui in ALTIORI ORDINE, quem dicunt, constituti sunt. Superest, ut de PRESBYTERORVM cessione uideamus. Neque enim opus est, ut multis demonstremus, constituta paullatim disciplina ecclesiastica, presbyteros subfuisse episcopis, quemadmodum episcopi quandam metropolitanorum in se potestatem agnouerunt. Vt igitur supra ostendimus, metropolitanos conciliis, episcopos metropolitanis et primatibus suis, exposuisse renunciationum caussas; ita nec PRESBY-

TERIS

TERIS, nec illis, qui, cum ſacerdotes non eſſent, tamen in ſacris eſſe dicebantur, aut minorum ordinum clericis, integrum fuit, a munere recedere, ſine graui cauſſa, illi expoſita, cuius ſubeſſent dioeceſi atque poteſtati. Voluerunt enim concilii NICAEN. patres, *c. 16.* quod *ex c. 23. cauſſ. 7 quaeſt. 7. intelligitur, ut, qui receſſerint ab eccleſia ſua, ſiue presbyter, ſiue diaconus, uel in quocunque ordine eccleſiaſtico poſiti fuerint, non recipiantur in alia eccleſia, ſed cum omni neceſſitate cogantur, ut recedant ad eccleſiam ſuam, et, ſi permanſerint, excommunicentur.* At pertinuiſſe illam reuocandi poteſtatem ad epiſcopos c. 3. concilii ANTIOCHENI declaratur. Cenſuerunt enim huius concilii patres, deponendum eſſe clericum, qui a ſua eccleſia in aliam transmigrauit, ibique ſedem elegit, licet AB EPISCOPO ſuo *ad reuertendum fuerit exhortatus.* Vt enim inferioris ordinis clerici, et alii, non, niſi conceſſione ſuorum epiſcoporum, ad alias eccleſias transmigrarent, etiam concilii CARTHAGINENSIS IV. can. 27. conſtitutum fuit. Qua re apparet, quod inde argumentum ducit Thomaſſinus a) nec cedere loco licuiſſe clericis, in quo collocati fuiſſent, propterea quod libere alias abire potuiſſent, ſi nulli amplius addicti eccleſiae fuiſſent. Atque in ea ſententia perſtitiſſe illos, qui ſubſecutis temporibus diſciplinae eccleſiaſticae curam habuerunt, ex *capitulari Caroli M apud* BALVZIVM b) intelligitur, ui cuius, *presbyteri, qui ſine iuſſione proprii epiſcopi de eccleſiis ad alias eccleſias migrauerint, tam diu a communione haberi debent alieni, quam diu ad easdem non redierint eccleſias, in quibus primitus ſunt inſtituti.* Neque locus eſt dubitationi, easdem in ABDICANDO presbyterorum munere, quae in epiſcoporum renunciatione, cauſſas, ualuiſſe. Illis certe, qui uel corporis IMBECILLITATE uel CRIMINIS cuiusdam a ſe per-

a) Thomaſſinus P. II. L. 1. c. 19.
b) Capit. Caroli M. L. VI. c. 85. apud Baluzium T. I. p. 936.

perpetrati mole et conſcientia grauati, abire a munere cuperent, aſſenſum ab epiſcopis impertitum fuiſſe, ut, poenitentiae agendae cauſſa, in monaſterium quoddam ſe conferrent, ex illo HINCMARI apparet a) qui, *ſi quisquam*, inquit, *presbyter parochiae noſtrae aut* INFIRMITATE *corporis, aut latente animae* PECCATO, *ſenſerit, ſe non poſſe proficere plebi commiſſae, uel non debere praeeſſe, et uoluerit monaſterii portum, ad agendam poenitentiam, ſecundum decreta B. Leonis, expetere, profeſſionis ſuae libello ab ordine et titulo atque regimine plebis, ſecundum Gregorii decreta, ſe exuat, ut in monaſterium intret.* At non ita faciles fuerunt in ceſſionibus, quae IN CVIVSQVAM FAVOREM fierent, probandis, quin et aegerrime tulerunt, ſi quid tale per fraudem et artes presbyterorum admiſſum fuiſſet. Hinc teſte FLODOARDO b) Hincmarus maximopere indignatus eſt presbytero, cui permiſerat, *ut libello ſuae profeſſionis a regimine plebis ſibi commiſſae redderet ſe alienum, et alium in ſuo loco expeteret ordinandum: quia colludium, quod habebat factum, ſibi celauerat, uidelicet ut alumnus eius, ſine conſenſu ſenioris ſui, in loco ipſius ordinaretur.* Ita certe placuiſſe et ſupra docuimus, ut PACTIONES a renuntiationibus, quas uix ac ne uix quidem uel ex graui cauſſa admittebant, penitus abeſſent, cum illas non poſſe non SIMONIACAS uideri intelligeretur. At qvanto in odio hoc crimen fuerit tam eſt notum, quam quod notiſſimum habetur, a nobis etiam ſupra indicatum, cum de renunciatione epiſcoporum tractaremus

Ceterum utut a priſca eccleſiae diſciplina in eo receſſerit pontifex, quod epiſcoporum renunciationes ad ſuam ſolius cognitionem pertraxit, ſpiritualis matrimonii colore; de epiſcoporum tamen poteſtate, ſaltem in hac parte, nihil quicquam derogauit. Quin potius ab ALEXANDRO III. ad

a) Hincmarus T. II. p. 638.
b) Flodoard. Hiſt. Rhem. L. III. c. 8.

ad Tornacensem episcopum, *c. 4. X. de renunciat.* rescriptum legimus, ut canonicam ultionem in eos, qui ecclesias suas, inconsulto EPISCOPO, dimitterent, exerceret. Quod quidem cur admiserit Pontifex, mirari non iniuria quis possit, si uerum est, quod perhibetur, spirituale coniugium a nemine nisi a DEO, eiusque uicario, esse dissoluendum. Forte tamen exceptione specialis mandati a se dati Pontifex Romanus defendi posset. Certe illos Clericos, qui non sunt sacerdotes, sed in sacris tantum, aut neque in sacris, sed in MINORIBVS ORDINIBVS, non tam arcto uinculo cum ecclesia coniungi, ipsi Pontificii agnoscunt

VIII
CHARACTER INDELEBILIS

SED de his non sumus solliciti: cum propositum nobis non sit, inpraesentiarum rationes, quibus summam in ecclesiam potestatem Pontificii fulciendam esse existimarunt, inuestigare. Imo uero iam quidem animus est, RENVNCIATIONEM clericorum ex iure, ab episcopis Romanis constituto, aestimare. Qua de caussa notari uelim, me renunciationum nomine, dum in pontificii iuris caussa uersor, iam non intelligere illam status clericalis mutationem, qua quis personam laici induit, ordinemque deserit omnino, sed ABDICATIONEM, qua quis munus et beneficium ecclesiasticum, salua dignitate ordinis et sacerdotii, dimittit. Verum, cum semel in hanc caussam incidimus, non abs re esse uidetur, ut commemorem, inualuisse iam dudum opinionem, quod is sit ORDINATIONIS effectus, ut, manuum impositione facta, non tantum singularibus spiritus sancti donis exornetur ordinatus, sed et in eminentiore, cum gratiae diuinae, tum dignitatis, gradu collocetur, et a secundo illo hominum genere, laicorum uidelicet, prorsus separetur, breuibus, ut ipsi DEO cedat, tanquam possessio quaedam et hereditas, unde et CLERICORVM nomen ortum esse scimus,

Hos igitur, qui femel in hunc ordinem lecti receptique atque confecrati funt, quadam nota a laicis diftingui perhibuerunt, quae omnino non, aut certe difficulter, eximi poffit, eamque CHARACTERIS INDELEBILIS nomine infigniuerunt. Equidem, fi ad ufum ecclefiae fuperiorum feculorum attendimus, RESIGNATIONES clericorum iam tum arctiffimis limitibus circumfcriptas fuiffe, obferuamus. Enimuero, in concilii CHALCEDONENSIS can. 7. decretum legimus, ut ne clerici ftatum fuum mutare audeant. *Qui femel in clero deputati funt, aut monachorum uitam elegerunt, ftatuimus*, inquiunt, *neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam uenire mundanam, aut hoc tentantes, et non agentes poenitentiam, ita ut redeant ad hoc, quod propter DEVM primitus elegerunt, anathemizari.* Neque auctoritas deeft fingulorum patrum, qui acriter inuecti funt in clericos DESERTORES, fufurantes DEO, quod femel datum eft, et facrilegorum more profanantes, quod olim facrum fuit. Sed tantum abeft, ut characteris indelebilis, per ordinationem impreffi, ueftigia in fcriptis eorum reperiantur, ut etiam illorum temporum difciplina edoceamur, ad communionem laicorum reductos effe clericos grauius peccantes, quod ex c, 10. dift. 50. c. 13. D. 55, c. 5. D. 84. c. 118. C. 1. q. 1. c. 1. C. 1. q. 7, manifeftum eft. At in laicorum fortem detrufos effe, et gradu in perpetuum excidiffe, qui communionem laicam accipere iuffi effent, ALBASPINAEVS a) *de ueter. eccle∫. ritibus* demonftrauit. Quando autem ad Iuftiniani aeuum refpicimus, id quidem poenae clericis immorigeris iniunctum effe uidemus, ut AMISSA CLERICALI DIGNITATE ad laicorum infimi generis conditionem detruderentur. Et IVSTINIANVS quidem: b) generaliter fancimus, inquit, nulli licere, in quolibet ECCLESIASTICO GRADV conftituto DISCEDERE ab eo, et fecularem fieri, fcientibus, tale aliquid facientibus, quia et appofito fibi cingulo aut dignitate aut militia nudabuntur, et

a) Albaspinaeus de Vet. Eccle∫. rit. L. I. obferu. 4. §. 5. b) Nou. 123. c. 15.

et curiali fortunae propriae ciuitatis tradentur. Enim uero aliud posterioribus seculis omnino placuisse, illamque de CHARACTERE INDELEBILI doctrinam sensim introductam esse, non est difficile ad demonstrandum. LEONIS saltem PHILOSOPHI, Imperatoris, aeuo publice receptum fuit, ut INVITI ad uitam clericalem RETRAHERENTVR potius, quam, in poenae modum, dignitate exuerentur. Cum enim in *Nou. 6. c. 5.* a Iustiniano fuisset constitutum, *ut, si aliquis presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus, postea duceret uxorem, aut concubinam, aut palam, aut occulte, sacro statim caderet ordine, et deinceps idiota fieret*; LEO contra in *Nou. 79.* istam Iustiniani legem irritam pronunciauit, praecepitque, ne quis eam ob caussam clericali habitu, alioque ecclesiae ministerio, cuius usus illicitus non est, iudicio priuetur, hac in principio constitutionis adiecta ratione: quia, *quae semel DEO dedicata sunt, ea deinceps auferri non oportere, sancitum est, idque non solum in donariis, uerum multo etiam* MAGIS IN HOMINIBVS, QVI PER SACRVM ORDINEM DIVINAE MAIESTATI CONSECRATI SVNT, *obseruandum est.* Neque aliud in partibus occidentis circa ea tempora obtinuisse, uel *ex c. 8. dist. 81.* quod ex concilii Moguntinensis, uel, ut PITHOEVS mauult, Cabillonensis, decretis desumtum est, apparet. Vt ne enim clerici, gradu moti, secularem uitam uiuerent, sed potius poenitentiam in monasterio agerent, his uerbis decretum fuit: *dictum est nobis, presbyteros propter suam negligentiam canonice degradatos et seculariter, gradu amisso, uiuere, et poenitentiae agendae bonum negligere. Vnde statuimus, aut gradu amisso, agendae poenitentiae gratia, in monasterium, aut in canoniam regularem, mittantur. Si uero hoc fieri caussa quaelibet prohibuerit, ubicunque sint, poenitentiam agere non desistant. Si autem amisso gradu seculariter uiuere uelint, et poenitentiam agere neglexerint, ab ecclesiae communione separentur.* Haec caussa fuit, cur Carolomanni, filii Caroli Calui, ausum ferendum

D 2 esse

esse non duxerunt ecclesiae Gallicanae episcopi, cum diaconatus munere exauctoratus, laicorum more uiuere et regnum appetere instituisset. Quod AIMOINVS a) tradit. Hic enim Carolomannum in falsa fuisse opinione scribit, *quod liberius ad nomen et potentatum regium conscendere posset, quia ordinem ecclesiasticum non haberet : et, quia episcoporum iudicio ecclesiasticum gradum amiserit, etiam tonsuram ecclesiasticam licentius amittere posset.* Atque inde lucem accipit, quod in ANNAL. METENS. *ad an. 870.* dicitur: *Carolomannum per* APOSTASIAM *recedentem ab ecclesiastica religione, et abiicientem gratiam, quae data erat ei per manus impositionem, alterum Iulianum effectum esse.* Ex his igitur, quae dicta sunt, apparet illud, quod a nobis maxime demonstrandum erat, ideo inualuisse illam de CHARACTERE INDELEBILI opinionem, ut ne a SACERDOTIBVS quidem DEPOSITIS nota ista, animae inpressa, amitti uideretur, atque in APOSTATARVM numero omnino haberentur, qui, uel OB CRIMEN exauctorati, laicum uitae genus elegissent. Quod, cum semel placuisset, subsecutis seculis et synodorum decretis et pontificum edictis rescriptisque confirmatum fuit. Sane in CONCILIO ROTOMAGENSI anno 1074. celebrato can. 12. praeceptum fuit, *ne hi, qui culpis urgentibus ab ordine suo depositi, quasi ab omni clericatu liberi, militent seculo, more laicali.* Atque in eandem sententiam et ALEXANDER III. et Innocentius III. c. 1. *et c.* 3. X. *de apostat.* generaliter rescripserunt. Et concilium TRIDENTINVM, propter hunc ipsum CHARACTEREM, qui nec deleri, nec auferri potest, *Sess. 23. de sacramento ordinis, c. 4.* illorum damnauit sententiam, *qui asserunt, noui testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si uerbi DEI ministerium non*

a) Aimoinus Histor. Franc. L. 3. c. 29.

non exerceant. Enim uero ne inter PONTIFICIOS quidem defuerunt, qui, quam debili fundamento iſte ſuorum CHARACTER nitatur, uel prodiderunt, uel plane profeſſi ſunt. Quanta enim ſit diſſenſio inter ipſos iuris pontificii interpretes in deſcribenda CHARACTERIS, per ſacramentum illud ordinis impreſſi, natura, *ad tit. X. de ſacram. non iterand.* in *iur. eccleſ. proteſt.* docuit *Ill* BOEHMERVS. BERNHARDVS uero ESPENIVS, Theologus et ICtus Louanienſis a) inde a quatuor ſeculis, a theologis ſcholaſticis quaeſitum fuiſſe meminit, quis ſit CHARACTER ille, qui in ſacramentis inprimi dicatur. MORINI etiam teſtimonio perhibet, plures ingenue faſſos eſſe, nihil apud patres, aut in antiquis canonibus, de hoc CHARACTERE ſolidi occurrere, ſed ad auctoritatem eccleſiae, quae iſtum characterem agnoſcat, eſſe recurrendum. Quis igitur miretur, et Theologos et ICtos PROTESTANTES iam dudum ab iſta ſententia receſſiſſe, et repudiaſſe, quicquid in contrariam partem de nota illa, animae ſacerdotum inpreſſa, allatum fuit, quamuis anathematis fulmine in eos uibrato, qui aliter ſentirent. Etenim CHEMNITIVS, ubi in iſtum locum concilii Tridentini incidit, in quo anathema dicitur omnibus, qui negant, CHARACTEREM INPRIMI in anima, id eſt SIGNVM quoddam SPIRITVALE et INDELEBILE, iam uero, b) ſcribit, Tridentini ſimpliciter anathema dicunt omnibus, qui non ut articulum fidei probant et amplectuntur illud ſcholaſticorum recens es incertum COMMENTVM DE CHARACTERE. Neque minus grauiter ſententiam iſtam refutauit ZIEGLERVS *in Comment. ad Lancellottum.* c) Ibi enim, poſteaquam uarietatem ſententiarum, qua de natura characteris indelebilis in-

a) Bern. Eſpenius P. II. Iur. Eccleſ. Vniu. T. I. §. 11.
b) Chemnitius in exam. concil. Trid. p. 221.
c) Ziegl. ad Lancellott. L. II. tit. 2. de ſacramentis §. 4. p. 611.

ter se inuicem pontificii disputarunt, latius demonstrauit, tandem ita concludit: *Sed referant, quo uelint: nos inter figmenta habemus.* Certe et huc illa pertinent, quae B. THOMASIVS *de desertione ordinis* disputauit. Cum igitur ex dictis appareat, eam non esse NOSTRORVM sententiam, ut a reliquo hominum genere, ipso iure diuino, et INDISSOLVBILI NEXV, separetur minister ecclesiae; etiam ipso iure infirmatur, quod in iure pontificio sub excommunicationis poena prohibitum esse nouimus, ne quispiam sacerdos etiam POST RENVNCIATIONEM et exauctorationem, uitae laicae rationem inire, et a moribus clericorum, quos antea secutus est, discedere audeat. Certe enim, ut quisque est optimus, utque maxime de republica mereri studet, ita honestissimus et ciuitati utilissimus socius est habendus. Ideoque et usu obtinet in IVDICIIS ECCLESIASTICIS PROTESTANTIVM, ut neque RENVNCIANTIBVS neque REMOTIS, certa uitae conditio iniungatur, sed illorum arbitrio relinquatur, quam suo ingenio accommodatam et rei familiari utilissimam esse, arbitrentur. Vnum est, quod timeri possit, ne dum ad laicos, aut ad sordidum genus uitae redeunt, qui in sanctiore ordine constituti erant, ipsa sacerdotum dignitas aliquando apud imbecilliores per illos suspecta fiat. Solent enim fere plerique imbecilles ex illorum conditione, cum quibus familiariter uersantur, totum illum ORDINEM, ex quo illi descendunt, aestimare. Ideoque maior est sacerdotii etiam e longinquo reuerentia, et cautius, pieque agunt, qui, postquam a sacro ordine discesserunt, a sordido uitae genere abstinent, et auctoritatem illorum, quos olim FRATRES habuerunt, etiam post secessionem ab illis factam, honestate et moribus integris tuentur. Sed haec quidem fere suaderi possunt, ui extorqueri uix possunt, et cuiusque pudori relinquuntur

VIIII

VIIII

CAVSSAE ABDICATIONIS, QVAE IN NOSTRA ECCLESIA ADMITTVNTVR. INPRIMIS CONSCIENTIA CRIMINIS, SCANDALVM, VXORIS, LIBERORVM, FAMILIAE DEDECORA

NEQVE tamen adeo remiſſa eſt eccleſiae noſtrae diſciplina, ut pro arbitrio, aut ex NVLLA, uel etiam LEVI CAVSSA, INCONSVLTO etiam SVPERIORE, a munere demandato cuiquam miniſtrorum eccleſiae abire liceat, et temere deſerere ſacerdotium ſuſceptum. Quamquam enim nec APOSTATAS eſſe credimus, qui ordinem ſacrum deponunt, nec MATRIMONIVM SPIRITVALE inter ſacerdotem et eccleſiam contrahi putamus; ſunt tamen ALIAE CAVSSAE, ob quas et Theologi, et ICti noſtrates RENVNCIANDI licentiam, quod ad munera eccleſiaſtica attinet, ſubinde prohibitam eſſe, aſſeuerant. Ita enim ut ſentiant, MVNERVM PVBLICORVM in ciuitate ſubeundorum, cuiuscunque tandem generis ſint, NATVRA ipſos adduxit, a quibus quidem priuato auſu non recedendum eſſe, ſupra eſt a nobis comprobatum: Diſſuadet iſtam in abeundo LEVITATEM OFFICII ſacri GRAVITAS, et ipſa SACRI ORACVLI auctoritas, quae negotium a DEO nobis commendatum, aut curam uindemiae nobis impoſitam, deſeri, et lupis illam prodi, aut aratrum in medio labore deſtitui, aut ſementem factam, quae culturam deſideret, negligi, et ſpem fructus ſuffocari, non permittit: quod a diuinae ſapientiae doctoribus diligenter fuit comprobatum. Obeſt inprimis SALVS ECCLESIAE, quae optimo cuique religionem perſeuerandi imperat. Obſtant incommoda nec pauca, nec exigua, quae ad coetum, paſtore ſubinde deſtitutum, peruenire

nire

nire ſolent. Quae omnia quidem noſtrates ita commouerunt, ut ABDICANDI poteſtatem non, niſi ob GRAVES CAVSSAS, cuiquam eſſe arbitrentur. Atque, quod ad CAVSSAS quidem attinet, in eo fere ſequimur ipſa iuris pontificii praecepta, et, quantum per doctrinam noſtram fieri poteſt, uix alias admittimus, praeter illas, quae in *c 9. et 10. X. de renunc.* traduntur. Etenim in c. 9, non impediendum eſſe clericum, dicitur, quo minus a ſtatione recedat, in qua quidem SINE VITAE PERICVLO perſeuerare nequeat. Sed eam pontificis mentem eſſe WAGNERECK. *ad d. c. 9.* monet, ut abitus ſit licitus, ſi nihil utilitatis eccleſiae proueniret, etſi uel maxime mortem ſacerdos fortiter ſubiret. Praeter eam renunciandi cauſſam c. 10. probatur illorum conſilium, qui DEBILITATE CORPORIS, et ea quidem, laborant, ob quam quis officio ſatisfacere omnino non poſſe uideatur. Vt uero haec excuſandi cauſſa, etiam ex ipſius pontificis ſententia, omnino VOLVNTARIA uidetur, nec quisquam cogitur, ut inuitus renunciet per *c. 5. X de cler. aegrot. et debil.* ita etiam uſu eccleſiarum proteſtantium obtinere, ut aegro ſubſtitutus adiungatur, Carpzouius teſtatur. a) Certe non facile in ſacro illo officio INVITOS retinemus, qui de imbecillitate corporis queruntur, aut SACERDOTIO, cui praefecti ſunt, ſe praeeſſe poſſe negant. Generaliter enim hoc nos iure uti NATVRA praecipit, ut, quae ab OCCVLTIS cuiusque VIRIBVS proficiſci, et VIRTVTE MENTIS adminiſtrari debent, officia, cuiusque pudori atque uoluntati relinquamus; cum ipſe tantum ſecum habitare et uires metiri atque aeſtimare poſſit, an ſufficiant ad onus impoſitum cum dignitate et fructu perferendum. Inprimis autem ad renunciandi ueniam impetrandam ualere uoluit pontifex CONSCIENTIAM CRIMINIS, MALITIAM PLEBIS, et GRAVE SCANDALVM, quo ſpes fructus intercipiatur. SCIENTIAE autem DEFECTVS, quem etiam admittit, uix apud nos allegari poteſt, ſi, quod ICti noſtrates praecipiunt, nemo

a) Carpz. Iurispr. Eccleſ. L. 1. tit. 10. def. 152. ſqq.

nemo, nisi EXAMINE PRAEVIO, quo scientiam arbitris probauit, ad ineundum sacerdotium omnino admittitur. Neque IRREGVLARITATI, quam pontifex appellat, facile locum dant nostrates, de matrimonio clericorum aliter prorsus sentientes. Ea uero, quae ex CVMVLATIONE MVNERVM ecclesiasticorum proficiscitur, per disciplinam nostrarum ecclesiarum occurrere uix potest. At, quae de CONSCIENTIA CRIMINIS et de SCANDALO afferuntur, plurimum momenti habere ad renunciandum oportere, non immerito est admittendum. In eo enim et PRIMA ECCLESIA nobis praeiuit, et ipse finis, ob quem quidem ministri ecclesiae ad curam coetus Christiani uocari solent, admonet, ut ne FACINOROSOS homines in illo ordine admittamus, aut plane retineamus, qui non doctrina tantum, sed et uitae probitate, uiam salutis indicare, et ambulantes in recto tramite exemplo suo retinere debent. Sane, quo plures in exemplum eorum, tanquam in speculum quoddam, inspiciunt, et inde sibi et suae uitae, quod imitentur, capiunt, atque, quod turpe et impium, homine denique Christiano indignum sit, aestimant; eo grauius peccant, qui mala uita, uel plane sceleribus contaminata, imbecilliores ad malitiae imitationem seducunt, et produnt ecclesiam, quam custodire debuissent. Nemo igitur erit, qui huius generis hominum cuiquam uehementer repugnandum esse censeat, si quem forte uitae antea actae pigeat, ut abire, quam diutius cum dedecore praeesse sacrae familiae, malit. Neque tamen est, cur quisquam nos tam rigidos et seueros esse putet iudices, in clericos peccantes, qui per imbecillitatem illam, omnibus mortalibus communem, lapsi, aliquid humani passi sunt, ut, abdicandum ab illis esse munus, continuo existimemus. Sunt certe illi homines, a quibus nihil humani alienum esse putamus, et sententiae INNOCENTI III. accedimus lubentes, qui c. 10. X. *de renunc.* si omnes, inquit, quos arguit CONSCIENTIA cuiusquam CVLPAE, cederent, pauci uel nulli in illo ministerio remansuri essent. At, quae in oculos

omnium incidunt, FLAGITIA, quae nec a laicis impune committuntur, eorum licentiam nec faciendam clericis esse arbitramur: ob ista denique RENVNCIATIONEM a clericis factam non modo non improbandam, sed plane promouendam et laudandam esse, iudicamus. Vtut enim crimini magis conueniat DEPOSITIO, quam cessio, quod supra obseruatum est; *non tamen ea* PROBROSA DEPOSITIO *est, sed spontanea et* DECORA CESSIO, ut THOMASSINVS a) ait, *si quis* DELICTI *sibi* CONSCIVS, *canonicum iudicium sincera poenitentia occupat, seque ipsum suo exauctorat iudicio.* Conueniunt, quae diximus, institutis ecclesiae primae, ut supra intelleximus. Sed non minus piis ueterum Christianorum moribus respondent, quae de RENVNCIATIONE, OB SCANDALVM datum, a pontifice sunt decreta. Sane, dum episcoporum mores instruit apostolus 1. Tim. III. et quibus uirtutibus exornatus esse debeat, describit, illum non modo SCELERIS PVRVM, sed et VITAE INTEGRVM, esse iubet. *Oportet*, inquit, *episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum, uigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendum, non uinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum, sed aequum, alienum a pugnis, alienum ab auaritia, qui* SVAE DOMVI BENE PRAESIT, *qui* LIBEROS HABEAT IN SVBIECTIONE, CVM REVERENTIA. *Quod si quis* PROPRIAE DOMVI PRAEESSE NON NOVIT, *quomodo ecclesiam DEI curabit? Non nouitium, ne inflatus in condemnationem incidat calumniatoris. Oportet autem illum habere testimonium ab extraneis, ne in laqueum incidat calumniatoris.* Quam igitur in seruanda disciplina ueteres curam adhibuerunt, ea effecit, ut non facinorosos modo de tribu remouendos esse censuerint, sed et VITIIS INQVINATOS et NEGLIGENTES officii, ab ecclesia abesse uoluerint. Certe, et seculo IX. ita obtinuisse, ex

a) Thomassin. P. II. L. II. c. 52.

ex can. 40. CONCILII CABILLONENSIS II. unde decerptum eſt *c. 8. D. 81.* intelligitur, ubi presbyteri OB NEGLIGENTIAM depoſiti fit mentio. Neque enim in ſola epiſcopi perſona ſubſiſtit D. PAVLLVS, ſed et DE FAMILIA praecipit, ne, qui IN SVIS GVBERNANDIS minus diligens intelligatur, coetui uniuerſo cuſtodiendo impar uideatur. Sane, quod SAMVELE teſte L. 1. Sam. c. 2. ELI illi, primario Iudaeorum SACERDOTI, ſummo magiſtratus honore conſpicuo, a ſummo Numine uitio datum, et interitu familiae luendum fuit, hoc in noſtris ſacerdotibus a reprehenſione abeſſe nequit, ad quorum PROPINQVOS non pauci oculos conuertunt, et ad quorum exemplum mores ſuos facile componunt. Non igitur ferendum eſt SCANDALVM datum ab ipſo ſacerdote EBRIOSO, RIXOSO, munus ſuum PERFVNCTORIE adminiſtrante, laborem humilem et ſacerdote indignum ſuſcipiente, illotis poſtea manibus ſacra, quae caſte adire debebat, temere tractante. Neque ab OFFENSIONE, IMBECILLIORVM ſaltem, immunis erit, cui uel parum cum VXORE et LIBERIS conuenit, uel etiam, qui indulgentior eſt in FAMILIAE CARCINOMATA, temulenta, concita ſemper ad pugnas atque rixas. Tali igitur, ſi ſecum tandem habitare incipiat, et uel ſponte, uel monitus, cogitet, quantopere haec omnia obſtent emendationi coetus Chriſtiani, ſibi commiſſi, ſatis ego cauſſae ad renunciandum eſſe exiſtimo. Sic enim munere abdicato, gregi negligentius adhuc habito conſulit, et, quod INNOCENTIVS ait, ſalutem aeternam temporali honori praefert. Si enim, quod ſupra docuimus, in ueteri eccleſia obtinuit, ut uel MALITIAE PLEBIS, paſtorem non ferentis, ſed capitali odio ab eo diſſidentis, concedendum eſſe crederetur; quidni et hodie VENIAM RENVNCIANDI demus illis, qui animos auditorum ſua culpa a ſe alienarunt, aut SVORVM DEDECORE alienatos eſſe, intelligunt

X

APVD SVPERIOREM EXPONENDA EST RENVNCIATIONIS CAVSSA

Ex his igitur fere CAVSSIS renunciationes admittuntur. Superest, ut de iis uideamus, quibus illae exponendae sunt, QVORVMQVE AVCTORITATE uel ADMITTI QVEANT, uel omnino reprobari. Illud uero iam supra attigimus, EPISCOPORVM renunciationes uariis artibus ad SEDIS ROMANAE cognitionem pertractas esse. De abdicatione autem PRESBYTERORVM, aliorumque clericorum *ex c. 4.* X *de renunc.* monitum fuit, obtinere etiam nunc, ut, CONSCIO et consentiente EPISCOPO, abire a munere sacro possint. Huic enim permissum est, ut suae dioeceseos clericis ueniam relinquendae spartae dare queat, nisi forte sint ii, qui a jurisdictione eius EXEMPTI, uel pontifici immediate, uel alii praelato, subiecti sunt, ut episcopi potestate non contineantur. Hoc quidem, *argumento c. 3. X. de instit. et c. 1. X. de capell. monach.* SCHMALZGRVBERVS a) comprobauit. Illud uero, quod de episcopo diximus, SEDE VACANTE etiam CAPITVLO licitum esse, aiunt interpretes, idque in *c. 14. X. de maior. et obed.* se inuenisse arbitrantur, quos CORVINVS b) allegauit. Imo uero etiam alios praelatos, episcopis inferiores, sed IVRISDICTIONE tamen ECCLESIASTICA instructos, de renunciatione clericorum, sibi subiectorum, cognoscere, eamque admittere posse, tum *ex c. 3. X. de instit.* tum auctoritate rerum ita iudicatarum et ICtorum assensu, tuentur et CORVINVS et SCHMALZGRVBERVS. Sed haec quidem sine omni exceptione accipienda non

a) Schmalzgruber. Iur. Eccles. P. II. tit. 9.
b) Coruin. de person. et benef. Eccles. L. 1. tit. 13.

non ſunt. Dantur enim, et in promptu ſunt, quaedam ſpecies, in quibus nec ab INFERIORIS, aut MINORVM ORDINVM, clericis impetrari poteſt MISSIO, quamuis epiſcopo, uel alio quocunque, quem nominauimus, iudice eccleſiaſtico conſentiente. Eas certe, quae PACTO ADIECTO, aut ſub quadam CONDITIONE, uel IN FAVOREM cuiusquam, fiunt, non, niſi PONTIFICE conſentiente, efficaces eſſe, plerique affirmant, et uſu rerum iudicatarum comprobant. In his enim renunciationibus, quae IN CVIVSQVAM FAVOREM fiunt, periculum eſſe credunt, ne quid cognationi, aut amicitiae detur, ac beneficia eccleſiaſtica, iure ſucceſſionis hereditariae, transferri uideantur, eamque ob cauſſam illas ex patrum conciliorumque decretis interdictas eſſe, ſupra eſt a nobis indicatum. At, cum poteſtas DISPENSANDI contra ius commune, et a lege ſoluendi, ſolius eſſe pontificis credatur; in promptu ratio eſt, ob quam renunciationes, IN FAVOREM cuiusquam factas, ad illum deferendas eſſe, ICti cenſuerunt. Praeterea *ex c. un. de rer. permut. in 6to et Clement. un. eod.* notum eſt, beneficium aliquod de nouo conferri non poſſe, niſi prius uacet. At beneficium IN FAVOREM alicuius reſignatum, auctore BARBOSA a) uacare nequit, niſi perſonae nominatae conferatur. Inde igitur SCHMALZGRVBERVS, argumento ſatis artificioſo, colligit, renunciationem IN FAVOREM factam a nemine, niſi a PONTIFICE, quem ſupra ius commune eſſe aiunt, admitti poſſe. Qui autem, RESERVATA ANNVA PENSIONE, cedunt beneficia, eos pontificia auctoritate opus habere, ideo perhibent, quod *c. 8 X. de praebend.* conſtitutum eſt, ut ne diuidantur beneficia, aut cum deminutione quadam conferantur. Illas denique RENVNCIATIONES, quae quicquam alterius CVIVSCVNQVE PACTIONIS continent, ad pontificem deferendas eſſe, placuit, ut,

 quod

a) Barboſ. Iurispr. Eccleſ. Vniu. L. III. c. 15. n. 71.

quod auctor Glossae ad *c. 4. X. de pact.* ait, SIMONIA, quae omnibus PACTIS, de re spirituali initis, inesse uidetur, ex plenitudine pontificiae potestatis quodammodo purgetur. Hoc uero extra dubium est constitutum, illas clericorum renunciationes, quae PONTIFICI reseruatae non sunt, ad episcopos et alios ORDINARIOS IVDICES, ui IVRISDICTIONIS ECCLESIASTICAE, qua gaudent, pertinere. Etenim ea est communis interpretum sententia, a SVPERIORE examinandas esse abdicationis caussas, ab eoque licentiam abeundi impetrandam esse, qui habet *iurisdictionem*, et ius DEPONENDI, aut etiam CONFIRMANDI clericum, in sacro munere suscepto. Hoc enim non solum auctoritate *Glossae ad clement. un. de renunc.* et FLAMINII aliorumque ICtorum assensu CORVINVS l. c. ait, sed LANCELLOTTVS etiam a) abscisse, in praebendis, inquit, et ceteris MINORIBVS BENEFICIIS apud eum fieri debet RENVNCIATIO, ad quem pertinere dignoscitur CONFIRMATIO. Vnde etiam LAICO RESIGNATIONEM fieri non posse, INNOCENTIVS III. *c. 8. de renunc.* affirmauit: cum ille nequeat clericum in officio suo confirmare. Intelligitur exinde, cur nullas PATRONI, in cognitione de renunciatione instituenda, partes esse uoluerint legum ecclesiasticarum conditores, cum ex pontificii iuris doctrina exploratum sit, non omnem patronum esse etiam iudicem, laicos autem, caussarum ecclesiasticarum contemplatione, IVRIS DICVNDI POTESTATE omnino expertes esse, nec sibi quicquam facultatis sumere in iis posse, licet summae sint in administranda republica auctoritatis. Negat itaque FLAMINIVS b) Imperatoribus et Regibus beneficia a clericis resignari posse, cum generale sit, quod INNOCENTIVS *c. 8. X. de renunc.* ait, RENVNCIATIONEM, IN MANVM LAICI PACTAM, NVLLAM OBTINERE FIRMITATEM. Sane, utut excidat clericus beneficio, quod laico renunciauit, ex uerbis tamen pontificis apparet, et a

GON-

a) Lancellott. Instit. L. I. tit. 13.
b) Flamin. de Resignat. L. VII. quaest. 9. n. 14.

GONZALEZ TELLEZ *ad c. 4. X. de renunc.* ostensum est, beneficium non VI RENVNCIATIONIS, sed IN POENAM, uacare, propter crimen, quod, renunciatione illegitime facta, sit commissum. Sane, in eo et PROTESTANTIVM ICti cum pontificiis consentiunt, quod PATRONI consensum sufficere omnino negent, ut abdicatio ualida et efficax omnino uideatur, quod CARPZOVIVS a) testatur. At, tantum abest, ut crimini uertant pastori, si, quod humanitas et decori ratio iubet, non, nisi CONSCIO PATRONO, sibi abeundum esse censet, ut etiam suadeant, et factum laudent. Illud uero etiam apud nostrates quadam iuris necessitate requiri solet, ut CAVSSA IVSTA a renunciante exponatur, et ab eo, QVI IN CAVSSIS ECCLESIASTICIS IVS DICIT, antea probetur

XI

RENVNCIATIO VI EXTORTA PACTA SIMONIACA

ENIM VERO, ne vitiosa sit abdicatio, requiri solet, praeter ea, quae hactenus tractata sunt, ut ne quid interueniat, quod uel ad VIM spectare, vel SIMONIACI CRIMINIS speciem habere, uideatur. Quin, si in CIVILIBVS CAVSSIS ita obtinet, ut, quod CICERO *pro Caecin. c. 17.* inquit, iuri nihil magis inimicum esse, existimetur, quam VIS, nec aequitati quicquam tam infestum, quam homines conuocati et armati; Certe aequo animo ferri nequit, ut SACERDOTES, ex CAVSSA NON satis idonea, ad relinquendum beneficium, VI et AVCTORITATE cuiusquam, inuiti compellantur. Vt igitur, quae PER METVM gesta sunt, rescinduntur, atque ut restituendus est, qui per uim aliunde est deiectus; ita etiam pontifex uoluit, ut quod PER METVM extortum esset beneficium, spoliato ante omnia restituatur. Cum igitur plebanus quidam, AD TERROREM laicorum

a) Carpz. Iurisp. Eccles. def. 125. n. 14.

laicorum, electioni rite factae renunciasset, *c. 3. X de his quae ui metusque caussa* CLEMENS III rescripsit, renunciationem factam ad TERROREM laicorum, nisi forte iuramento uel fide interposita sit confirmata, non impedire, quo minus is, qui renunciauit ecclesiae, ad cuius regimen prius erat electus, illi legitime praeficiatur. Quod uero tunc demum praefici ecclesiae posse arbitratus est sacerdotem, si renunciatio iure iurando non est confirmata, in eo dissentire uidetur ab INNOCENTIO III qui c. 4. *eod.* Clericum quendam, grauissimo METV compulsum a Rege Angliae ad EIVRANDVM RESIGNANDVMque beneficium, restitui iussit, non obstante iuramento. Enim uero, si recte considerantur uerba, presbyter iurauerat, se renunciaturum esse, eoque sacramento steterat: sed pontifex rescripsit, non eo pertinere uim iuris iurandi, ut ne repetere renunciatum posset. Multo autem uehementius obstat *c. 2. X eod.* in quo sacerdotem quendam, ut EIVRARET beneficium, ui coactum, restituere iussit ALEXANDER III ratione addita, quod in irritum reuocanda sint per uim metumque gesta. Quam litem ut definiat GONZALEZ TELLEZ *ad c. 4. eod.* monet, renunciationem metu graui factam, et iuramento firmatam, non ualere, ideoque beneficium, ita abiuratum, repeti posse, petita RELAXATIONE iurisiurandi, uires tamen habere, si relaxatio non petatur. In eamque sententiam etiam Gail. L. III. obs. 44. concedit. Quando autem propter VIM metumque infirma dicitur renunciatio, intelligenda est VIS ATROX, et ea, quae aduersus bonos mores fit, quod VLPIANO *l. 3. §. 1. D. quod met. causs.* placuit. Non igitur improbatur illa, quam magistratus recte infert, scilicet iure licito et iure honoris, quem sustinet. Quod si igitur IVDEX ECCLESIASTICVS eum sacerdotem, qui ex legis rigore DEPONI, non sine aliqua existimationis laesione, poterat, etiam METV POENAE in iure propositae, ad abdicandum permouit; non habebit renuncians, cur regressum ad beneficium, per renunciationem amissum,

a missum,

amiſſum ſibi patere, ex cauſſa metus illati, putet. Ita ſaltem pronunciandum uidetur, ſi ex *c. 10. X. de exceſſ. prael.* res aeſtimanda eſt, in cuius extrema parte INNOCENTIVS III pontifex uiſitatoribus Lombardiae mandauit, ut epiſcopo cuidam, GRAVIORIS EXCESSVS reo, ſpontaneam epiſcopatus depoſitionem iniungerent, detrectantem autem, et abire nolentem, ab eccleſia amouerent, aliumque in depoſiti locum curarent eligendum. Extra hanc ſpeciem tamen, eo uſque renunciationes LIBERAS eſſe uoluerunt pontifices, ut ne PACTIS quidem locum fecerint, quorum uinculo quis ad abdicandum teneretur. Ita uero ut ſtatuerent, et alia cauſſa permoti fuerunt, cum, ex communi opinione, tam late patere SIMONIAE crimen exiſtimaretur, ut ne ii tantum in illud incidere crederentur, qui munera et beneficia eccleſiaſtica illicitis modis AMBIRENT, et dona ſpiritus ſancti uili pretio comparari poſſe arbitrarentur, ſed et hi, qui omnino quicquam, rerum ſpiritualium, uel adquirendarum, uel in alios transferendarum cauſſa, admitterent, legibus eccleſiaſticis interdictum. At hae negant omnino, ESSE IN COMMERCIO uel ſpiritualia, uel ſpiritualibus annexa, quorum quidem procuratores, non dominos, eſſe epiſcopos et ſacerdotes ALEXANDER III. *c. 2. X. de donat.* reſpondit. Igitur quascunque PACTIONES, de his talibus rebus initas, SIMONIACAS dixerunt, licet uel maxime nullum pretium interuenerit; Et, quanquam ipſimet Iuris canonici interpretes agnouerunt, nihil in PACTIS GRATVITIS Simoniaci ineſſe, ſi ius diuinum ſpectetur; ineſſe tamen, propter prohibitionem eccleſiae, dixerunt: quorum ſententiam ſecutus eſt SVAREZ a) itemque GONZALEZ TELLEZ *ad c. 8. X. de pact.* Enimuero in hoc ipſo capitulo GREGORIVS IX. pontifex PACTIONES, pro ſpiritualibus obtinendis factas, NVLLIVS MOMENTI eſſe, pronunciauit, addita etiam generali lege, qua, ut in huiuscemodi rebus omnis CONVENTIO ceſſet, definitur. Cum uero PACTIONIBVS etiam GRA-

a) Suarez de Religione L. IV. de Simon. c. 31.

TVITIS uim omnem et ualorem denegarit pontifex; certe mirum non eſt, irritos eſſe omnes contractus, qui de rebus ſpiritualibus, PRO PECVNIA, aut alio quocunque lucro, tradendis, celebrantur. His enim proprie ac iure quodam conuenit SIMONIAE nomen, quae tunc fere committitur, cum pro RE SPIRITVALI TEMPORALIS datur. Eamque ob cauſſam pontifex reſignationem beneficii cuiusdam, ſub conditione ſoluendarum ab altera parte expenſarum factam, aliquando ratam non habuit, *in c. 4. X. de pact.* et transactiones de his rebus factas, dato aliquo uel retento, uel etiam promiſſo, *c. 4. et 7. X. de transact.* infirmauit. Certe et hac ipſa ratione motus GREGORIVS Pontifex c. 2. C 1. qu. 3. intolerandam eorum impudentiam proſcripſit, qui DEI eccleſias, uel eccleſiaſtica beneficia, PECVNIAE INTERVENTV, ſuſciperent, ſiue dando emerint, ſiue accipiendo uendiderint: in quos et INNOCENTIVS *c. 38. X. de Simon.* ſtatuit, ut ab illa eccleſia, in cuius contumeliam dare pecuniam, uel accipere uoluerunt, excludantur. Ceterum quis dederit, tam parum intereſt, ut etiam *c. 26. X. de Simon.* ille abire a munere illegitime acquiſito cogatur, quo inſcio uel agnati, uel amici, aliquid dederunt. Verum enim uero, ut ex ſententia ENGELII a) in SIMONIAE crimen non incidit, qui aliquid dat, non ut pretium rei ſpiritualis, ſed ut incitamentum ad opus bonum; ita certe non improbandum eſt, uel patroni, uel iudicis eccleſiaſtici, factum, qui miſeratione ductus, ſacerdoti ob CRIMEN et SCANDALVM datum renunciaturo, aliquid dedit uel promiſit, ut illi tanto facilius abitum ſuadeat, qui, etiam nolens, durioribus remediis poterat cogi, ut a ſacerdotio decedat. Sane cum *ex c. 21. X. de praebend.* argumentari poſſimus, permiſſum eſſe iudici eccleſiaſtico, ut aliquid ex beneficio, cui renunciandum eſt, aſſignet renuncianti; uitio certe duci nemini uel iudici, uel patrono, uel alii cuicunque poterit, qui de

a) Engel. Colleg. iur. can. L. V. t. 3. §. 1. n. 8.

de ſuo liberalis eſſe cupit, ſine ſpe lucri aut honoris, quod ex beneficio denuo conferendo ad ipſum peruenire poſſit

XI

POST LEGITIMAM RENVNCIATIONEM NON FACILE DATVR REGRESSVS

Satis igitur ex his, quae diximus apparet, quanta prudentia uſi ſint legum eccleſiaſticarum conditores, ne quid temere et leuiter fieret in deponendis muneribus eccleſiaſticis, neue facile, ex CAVSSA NON SATIS IVSTA, aut omnino INIVSTA, reſilirent homines ad mutandum procliues. At certe non minus circumſpecti fuerunt, ut INCONSTANTIAM CONSILII eorum redarguerent, qui depoſito munere mox POENITENTIA ducuntur, et REDITVM ſibi ad beneficium, quod, nemine cogente, depoſuerunt, PATERE uolunt. Sane quam benigne cum aegrotantibus agatur clericis, ſupra indicauimus. Illi uero, qui CONSCIENTIA CRIMINIS cuiusdam, aut ſcandali dati grauitate, adducti, ſacerdotio ſe abdicant, ſuam potius, quam aliorum, ſententiam ſequuntur. In iis ſolis aliquid COACTIONIS occurrit, qui, GRAVIORIS EXCESSVS rei, ac duriore poena digni, admonentur, ut SPONTE renuncient. Sed id damnum ſua culpa ſentiunt, et ipſi quoque, delinquendo aduerſus leges, in poenam, quam ſequi crimen optime norunt, merito incurrunt, aut ſaltem, dum abdicationem depoſitioni praeferunt, ex OPTIONE ſua omnimodo tenentur. Tanto igitur minus accuſandae ſunt leges, quibus, renunciatione ſemel facta, et a ſuperiore admiſſa, STANDVM ESSE, conſtitutum eſt. In cauſſis certe ciuilibus ita obtinere, nouimus, ut non infirmetur negotium, cauſſa ſemel cognita et approbata, nec diſquiratur, uera ne ſit an falſa, ne quidem ſemper minorum contemplatione, quibus tamen propter aetatis imbecillitatem facilius ſuccurri conſtat. Quis igitur VARIETATEM et INCONSTANTIAM ferat in uiris in dignitate conſti-

tutis, et praeceptis diuinae ſapientiae imbutis a quibus uel maxime alienum eſſe creditur, ut quicquam temere agant, aut cauſſas per mendacium confictas deferant ad ſuperiorem. Enim uero a fraude uix abeſt, qui commentitiis conſilii rationibus ſuperiori illuſerat, aut ueras et a iudice eccleſiaſtico probatas in dubium reuocat, eoque titulo ad eccleſiam priorem redire cupit. Eo pertinet, quod INNOCENTIVS III *L. 3. epiſt. 240.* praecepit: ne liberum ſit ſuae uoluntatis arbitrium, quod in ſuperioris iudicium iam tranſlatum eſt, qua ratione frequenter nobis illuderetur a ſubditis, ſi DEAMBVLATORIA eſſet ſubiectorum VOLVNTAS, ad examen cognitionis noſtrae legitime delata. Eadem mente IVO CARNVTENSIS Epiſt. 131. iuſtum eſſe putauit, ut presbyter, qui eccleſiam, quam rexerat, nulla neceſſitate reſignarat, in Iudicio, quod de ſe iudicaſſet, permaneret. Aegre igitur, et non niſi hac lege, ut nullam epiſcopalis muneris partem inuito Theodoro ſucceſſore attingeret, Epheſina Synodus EVSTATHIO, Pamphiliae metropolitano, poſt renunciationem eius, a ſuffraganeis probatam, honorem epiſcopalem et reditus, ad uitam ſuſtendandam neceſſarios, permiſit, ut ex epiſtola eius Synodi PETRVS de MARCA *de concordia. ſacerd. et imper.* enarrauit. Neque aliud, ſubſecutis temporibus, placuiſſe, ex pluribus Pontificum reſcriptis probari poteſt. Illi enim clerico, qui beneficio ſuo, propter infirmam ualetudinem derelicto, in monaſterium abierat, ALEXANDER III, *c. 3. X. de renunciat.* reditum denegauit. Ita certe et CLEMENS III reſpondit, ac repetenti beneficium exceptionem SPONTANEAE ABDICATIONIS obſtare, c. 5. et 6. X. *de renunc.* reſcripſit. Colligunt inde interpretes, beneficium *rite abdicatum* poſt conſenſum ſuperioris VACARE IPSO IVRE, eamque ſententiam etiam auctoritate c. 2. *de renunc. in 6to.* confirmant, licet facultatem poenitendi, ante conſenſum, a ſuperiore declaratum, per c. 14. X. h. t. ſupereſſe facile concedant. Quin, et nexum inter ſacerdotem et eccleſiam omnino ſublatum

tum esse, postquam sacerdotio renunciatum est, ex d. c. 3. concludunt. Negant igitur porro, ea renunciatione probata, beneficium a renunciante CIVILITER possideri, aut fructus, postea exinde perceptos, eius fieri. Breuibus, ius omne, quod abdicans olim in beneficio habuit, extinctum esse censent. Quae cum ita sint, nihil obstat, quo minus ille clericus, qui munus depositum et beneficium annexum nullo iure detinet, ad cedendum compellatur, auctoritate magistratus competentis. Ita certe in Concilio LATERANENSI, quod anno 1215. INNOCENTIO III imperante, habitum est, placuit, ex cuius quippe decretis in *c. 12. X. de renunc.* haec uerba "afferuntur: quidam cedendi licentiam cum instantia postu-"lantes, ea obtenta, cedere praetermittunt. Sed cum in postu-"latione huiusmodi aut ecclesiarum commoda, quibus prae-"sunt, aut salutem uideantur propriam attendisse, quorum "neutrum suasionibus aliquorum, quaerentium, quae sua sunt, "seu etiam leuitate qualibet, nolumus impediri, eos AD CEDEN-"DVM DECERNIMVS COMPELLENDOS. Neque est, cur aliud in PROTESTANTIVM iudiciis pronunciandum esse uideatur. Certe PRAESES mihi indicauit, ita censuisse ordinem ICtorum in hac Academia, cum species quaedam renunciationis, qua ob SCANDALVM Clericus officio se abdicauerat, illi oblata esset. Quae cum huic scriptioni occasionem dederit, diligentius enarranda est. CLERICVS quidam ab honestate et dignitate ordinis eousque defecerat, ut deprauati eius mores nec a coetu, nec a patrono et magistratu ecclesiastico, ferri possent. Exprobrabatur illi sordidum et illiberale opus, quod inspectantibus omnibus fecerat. Obiiciebatur infrequentior sacrae coenae usus et ebriositas. Nec ab iniurgitatione potus abstinuerat, cum sacra adeunda essent, quae ipsa subinde tam negligenter procurauerat, ut, quae in templo, nec, citra grauem caussam, in priuatorum aedibus, facienda sunt, domi suae obiisset, sordidus et lutulentus limo, quem tractauerat. Praeterea VXORE utebatur, qua cum ipsi pessime conueniebat,

bat, nec melius aliis, ut etiam propter uerborum et uerberum conflictum, quem turpiter inierat cum uetulis quibusdam, carceri mancipata esset. Non igitur haec omnia toleranda esse, arbitratus est patronus, iudicis ecclesiastici potestate instructus, et homini, cui toties ad frugem redeundi auctor fuerat, ut REMOTIONEM, quam meruerat, spontanea abdicatione praeuerteret, omnino suasit, quin et, miseratione ductus, CERTAM SVMMAM PECVNIAE sponte cedenti promisit, qua ad uictum quaerendum uteretur, alio uitae genere electo. Annuit igitur reus, et in ipso iudicii loco, praesente iudice ecclesiastico, et factum approbante, RENVNCIAVIT; sed a muliere imperiosa, quam in carcere certiorem de re fecerat, correptus, indignissime ob factum, ut ipsa quidem opinabatur, imprudentissimum exceptus, abire a munere iam abdicato noluit, imo uero, iudice in sententia perseuerante, ad superiorem prouocauit, cuius nomine Ordo ICtorum Vitebergensium pronunciauit:

Daß die eingewandte Appellation in ihren Formalien beständig, und zu gebührender Rechtfertigung anhero erwachsen; der Materialien halber erscheinet aus den Acten und der Partheyen Rechtlichen Einbringen allenthalben so viel, daß in erster Instanz wohl verfahren, derowegen Appellant, der fol. an ihm ergangenen Verordnung zu Folge, die Pfarr-Wohnung binnen 14. Tagen, gegen Empfang derer ihm verwilligten 1100. Thaler, und des versprochenen Attestats, zu räumen schuldig, und wird diese Sache an vorigen Richter billig remittiret, V. R. W.

Ille quidem instabat, NON FVISSE CAVSSAM satis IDONEAM, cur renunciaret. Sed sufficiebat SCANDALVM, VITA FLAGITIOSA, DEDECVS VXORIS et familiae, quod Apostolus 1. Tim. 3. v. 4. in sacerdote non ferendum esse, docet. Ex his enim caussis efficaciter renunciari supra § 9. fuit comprobatum. Neque SIMONIA obiici poterat, cum illa liberalitas patroni

potius

potius laudanda uideretur, neque clericus tam PROPTER PACTVM, quam PROPTER CAVSSAM PACTI, renunciare iussus esset. Neque tandem magni momenti erat, quod renunciatio NON SVPERIORI, sed ipsi PATRONO facta, ipso iure nulla fuisse, uideri poterat, ut supra §. 10. est a nobis comprobatum: Primo enim ipse patronus simul erat IVDEX ECCLESIASTICVS, qui ius consistorii per personas idoneas exercebat; ut dubitari non posset, a SVPERIORE approbatam esse hanc renunciationem; deinde etiam LAICO facta renunciatio illud operatur, ut renuncians beneficio in poenam excludatur: Quod supra ex *c. 8. X. de renunciat.* a nobis demonstratum est. Denique iam, per prouocationem certe, res ad SVPERIOREM delata erat, qui caussam renunciationis idoneam esse, judicabat. Ideoque illi responso hae rationes sunt adiectae:

Obwohl eines Theils Appellat, daß diese Sache zuförderst in der ersten Instanz zu erörtern, und daselbst wegen der von Appellanten geschehenen Resignation rechtlich zu verfahren, vorwendet, andern Theils nach denen göttl. und geistl. Rechten, einem Diener göttlichen Worts, sein Amt, Beruff und Gemeinde, ohne erhebliche Ursache zu verlassen, nicht frey stehet, vielmehr alle weltliche Absichten diesfalls bey Seite zu setzen,

C. 10. §. 7. X. de renunc. Zieglerus de Episc. L. 4. C. 20. & L. II. c. 13. §. 1.

und wenn eine geistl. Person, durch zeitlichen Gewinst, Menschen-Furcht, Geld-Versprechungen, oder sonst dazu verleitet worden, nicht aber aus Trieb des Gewissens freywillig ihr Amt aufgegeben, die renunciation, daferne sie auch vermittelst Eydes bekräfftiget wäre, vor unkräfftig geachtet wird,

c. 5. X. de renunc.

Uber-

Uberdieß auch bey bürgerlichen freyen Handlungen, ein Versprechen, so wegen ausgeübter Gewalt, und daraus entstandener Furcht, oder gefährlicher Uberredung geschehen, vor verbindlich nicht zu halten, mithin die von Appellanten wider die Resignation seines Amts gemachten Einwendungen, da demselben nach Arretirung seiner Frauen, und der, dem Anführen nach, daher bey ihm entstandenen Consternation, unterschiedene Vorstellungen geschehen, Er auch noch mehrere beschwehrliche Folgen davon vermuthet, und durch Versprechung jährlicher Alimenten, auch endlich einer Summe Geldes überhaupt, zu der Resignation Anlaß bekommen, jedoch nachhero poenitiret, und bey seinem Amte gelassen zu werden verlanget, nicht unerheblich zu seyn scheinen, ausserdem ein Kirchen-Diener sein Amt allenfalls nicht in die Hände einer weltlichen Person, sondern desjenigen, welchem die geistl. Gerichte zustehen, und in manus Superioris, resigniren muß,

Lancell. Instit. l. 19. §. 11. Ziegl. ad Lancell. ibid. widrigenfalls aber dieselbe keine Wirckung hat, also, daß Appellantens Renunciation auch dieserhalb ungültig, und, da ihm die versprochene Geld-Post noch nicht ausgezahlet worden, Er diese zu hinterziehen wohl berechtiget, es das Ansehen gewinnen möchte,

D. a d. so viel Appellatens, wegen der ersten Instanz, gemachten Einwurff anlanget, diese Sache bereits vor seinem Consistorio angebracht, und, nachdem Appellant mit seiner Vorstellung eingekommen, die Verordnung ergangen, mithin dieser, da er dabey sich zu beruhigen nicht gemeinet, nothwendig an die höhere Instanz sich wenden müssen, überdies Appellatens Hr. Principal mit Appellanten auf gewisse maße in dieser Sache contrahiret,

also

also diese nicht unbillig in einer andern Instanz erörtert wird, ferner die Haupt-Sache betreffend, einem Kirchen-Diener sein geistl. Amt aus trifftigen Ursachen aufzugeben, allerdings nachgelassen, und besonders zu Vermeidung unausbleiblichen Aergernisses, auch seiner eignen Besserung halber, und pœnitentiæ caussa, eine andere Lebens-Art zu erwehlen, nicht untersaget wird, mithin Appellant zu angeregter Resignation gnungsame Bewegungs-Gründe gefunden, in mehrerer Erwegung derselbe bey öffentl. Gottesdienste, und Leichen-Begängnissen, durch seine unläugbare Trunckenheit, welche durch das beygebrachte Attestat nicht abgelehnet wird, auch ungeziemende Aufführung bey Administration der heiligen Sacramente, so wohl unanständigen und verächtlichen Lebens-Wandel, ingleichen durch unfleißigen Gebrauch des heiligen Abendmahls, dessen allen er durch die vermittelst Eydes abgehörten Zeugen zur Gnüge überführet, ein grosses Aergerniß, in dessen Ansehung die Pfarr-Kinder, besage derer in Actis befindlichen memorialien, einen andern Seel-Sorger verlanget, angerichtet, welchem nicht füglich anders, als durch Niederlegung des Amts zu steuern, hiernächst dessen Ehe-Weib, seinem eigenen Geständnisse nach, sein Amt durch ihre unverantwortl. Begünstigungen, auch Beschimpffung und Verachtung ihres Ehe-Manns, so wohl durch Zanck und Uneinigkeit mit andern, darüber sie verschiedentlich verklaget, und in Straffe genommen worden, **lästern gemacht**, und noch mehreres in Zukunfft befahren lässet, bey welcher Bewandniß auch **die Boßheit** und der **Unverstand** eines andern, hinlängliche Ursache zur Resignation eines geistl. Amts geben kan,

c. 10. §. 5. X. de renunc.

Mithin Appellant damit etwas unzuläßiges nicht vorgenommen,

men, ausserdem die Resignation freywillig und pure geschehen, hingegen durch die Versprechung einer Summe Geldes zu seinem Auskommen, bey so offenbahrem und unerträglichen Aergernisse, auf dessen Abschaffung die geistl. Obrigkeit nothwendig dencken müssen, und zu welchem Ende viel härtere Mittel vorgekehret werden können, ihme eine grosse Güte geschehen, die Verbindlichkeit der Renunciation aber hierdurch nicht entkräfftet worden, hierüber Appellantens Vorgeben, als ob er aus Bestürtzung, wegen der kurtz vorhero angeordneten Arretirung seiner Frauen, in grosser Ubereilung zu der Resignation sich entschlossen, eines Theils in Betrachtung der Uneinigkeit, in welcher er mit seinem Ehe-Weibe lebet, nicht glaublich, andern Theils dadurch, daß Appellant seine Erklährung nachhero, und nach Verlauff einiger Tage wiederholet, und nur wegen des gegenseitigen Versprechens Sicherheit verlanget, ingleichen seiner Ehe-Frauen diese resolution im Gefängniß mit vieler Freude hinterbracht, sattsam wiederleget wird, endlich die renunciation in die Hände Appellatens Hr. Principals, welcher selbst in seinem Consistorio præsidiret, und von welchem er die Confirmation zu seinem geistl. Amte, allem Ansehen nach, erhalten, welchen er also vor seinem Superiorem zu erkennen hat, auf behörige Weise geschehen, und von demselben acceptirt worden, immassen auch nunmehro die Ursache derselben in der höhern instanz vor erheblich und zureichend befunden worden, also diese vor beständig zu achten, gleichwohl das von Appellatens Hn. Principal dargegen geschehene Versprechen zu erfüllen,

Ziegl. ad Lanc. L. I. 20. §. 11. num. 281.

So ist, gesprochener massen, von uns billig erkannt worden.